Tomus XVI (I novae seriei) Fasc. III. **Mense Augusto 1927**

PERIODICA

DE RE

MORALI, CANONICA, LITURGICA

EDITA

A

D. M. PALERMO LAZZARINI, S. I.
Praefecto studiorum in Pont. Universitate Gregoriana
A. VERMEERSCH, S. I. Prof. Theologiae moralis
F. M. CAPPELLO, S. I. Prof. Iuris canonici
I. M. HANSSENS, S. I. Prof. Theologiae Liturgicae
in eadem Universitate

QUIBUSCUM OPERAM SIMUL NAVANT
ALII E VARIIS GENTIBUS PROFESSORES ET DOCTORES

BRUGIS
SUMPTIBUS BEYAERT
Via Notre Dame

ROMAE (119)
UNIVERSITÀ GREGORIANA
Via del Seminario, 120

1927

INDEX RERUM ANALYTICUS

I. Dissertationes, Quaesita, Casus

	Pag.
« *Ubi tumulus ibi funus* » *Axioma* (?) **A. Vermeersch**, S. I.	57*
Conexa Quaestio de § 2 c. 1230. **A. Vermeersch**, S. I.	67*
Num mulier occlusa possit consummare matrimonium ? **G. Arendt**, S. I.	70*
Synoptica Propositio Sententiarum S. R. Rotae de Matrimoniorum nullitate. **T. L. Bouscaren**, S. I.	78*
De iure postliminii ex causa Rotali 23 ian. 1927. **A. Vermeersch**, S. I.	90*
De pactione contraria perpetuitati matrimonii et causa Marconi-O' Brien. **A. Vermeersch**, S. I.	
Art. I. De pactione contraria perpetuitati matrimonii	94*
Art. II. De ipsa causa Marconi - O' Brien	101*
De conscribendis Constitutionibus Institutorum volorum simplicium vel iisdem ad Codicem aptandis (continuat). **A. Vermeersch**, S. I.	107*
Cur hoc anno Pascha celebravimus die 17 aprilis.	115*
Solutio casus de baptismo propositi p. 55*. **A. Vermeersch**, S. I.	117*
Casus de Confirmatione	120*

II. Monumenta

SS. D. N. Pius Pp. XI.	
28. Allocutio consistorialis (20 iun. 1927). — *Annotatio*	81
35. Acta summatim relata.	
A. Epistola ad Ill. Ep. Leodiensem	113
B. Epistola ad Ill. Ep. Friburgensem.	113
C. Brevi *De more*, erigitur internuntiatura pro Lettonia	113
D. Brevi *Regiones*, erigitur internuntiatura pro Lithuania.	113
E. Litterae de dioecesi Lunensi-Sarzanensi	113
F. Litterae praefecturam Ap. de Sarawak erigentes	113
G. Bulla *Summa Pontificis* ordinat regimen abbatiae *nullius* SS. Vincentii et Anastasii ad Aquas Salvias	114
H. Eriguntur duae Basilicae.	114
S. C. Consistorialis	
36. 1. Dignitas Decani in cap. cath. Augustodunensi erigitur *(Summatim)*	114
2. Pagus mutat paroeciam in Germania (*Summatim*)	114
S. C. de Sacramentis.	
29. Indultum pro sacerdotibns adoratoribus (29 mart. 1926)	87
Declaratio indulti superioris.	88
Annotationes	89
S. Cong. Concilii.	
30. Aestimatio tertiae partis canonicorum. Obligatio hebdomadarii in choro (14 nov. 1925). — *Annotationes*	91
31. Litterae circulares ad Ordinarios Italiae de perversa sanctorum celebratione (15 ian. 192[illegible]). — *Annotationes*	93
S. C. de Religiosis.	
32. Litterae de promovendo Cantu Gregoriano per instituta religiosa (18 feb. 1927).— *Annotationes*	96
37. Approbationes Institutorum vel Constitutionum (*Summatim*)	114
S. Cong. Rituum.	
38. Causae Beatificationis et Canonizationis *(Summatim)*	115
S. Romana Rota	
33. Sententia definitiva in causa Nullitatis Marconi-O' Brien	98
Card. Protector Pont. scholae musicae	
34. Epistola falsum nuntium retundens (7 mart. 1927)	111
Annotatio	112
39. Provisio Ecclesiarum	116
40. Nominationes	116
41. Necrologium	117
Notanda de superiore fasciculo	117
Bibliographia	118

PARS PRIOR

DISSERTATIONES

ET QUAESITA VARIA

" Ubi tumulus ibi funus „. Axioma (?).

I. **De ipso effato.** Hoc nostro saeculo XX, scriptores quidam qui de scientia canonica optime meriti sunt, ut vulgatissimum effatum ederunt istud: " *Ubi tumulus ibi funus* „. Ita, in egregio suo Tractatu *De Locis et Temporibus sacris,* R. P. MATTHAEUS A CORONATA, n. 186, eo utitur tamquam principio; atque in *Monitore Ecclesiastico,* 1927, p. 85-87, Professor PAULUS BOTTO, dum praesentem eius veritatem impugnat, idem tamen honestat appellatione: « L'antico principio, *Ubi tumulus, ibi funus.* » Inter ceteros autem tum iusta fama, tum absoluta vi dictorum eminet b. m. MANY, qui fuit Decanus Rotae et utilissimum opus scripsit *De Locis sacris.*

Ibi, n. 190, postquam variis argumentis munivit hanc suam propositionem: « ibi celebrari debent funera ubi tumulatio fiet », suam argumentationem his verbis concludit: « Unde mirum non est, omnes doctores, paucis exceptis, convenire in eandem sententiam; unde etiam axioma: *Ubi tumulus ibi funus.* Hinc duo illa iura, nempe *ius funerandi* et *ius tumulandi,* licet, materialiter sumpta, a se invicem distincta sint, attamen, iure communi, separari nequeunt ».

Quis, talia legens, potuerit non persuasum habere quod formula ista « *Ubi tumulus ibi funus* » obtinuerit et adhuc obtineat usum maxime diffusum, ita ut perlustranti tractatus de sepultura passim occurrere debeat?

Quare, non sine vera miratione, haec comperimus.

1. Sane axioma istud quaerendum non est inter *regulas iuris,* sive quae tit. 41, L. V. Decretalium Gregorii IX constituunt, sive quae ad L. V. sexti libri Decretalium appositae sunt.

2. Frustra axioma allegatum quaesieris sive apud Gratianum, C. XIII, q. 1. 2; c. 49 D. I. Cons.; sive in t. 28 L. III Decret.; sive in L. III, t. 12 in 6^0; sive in Clem. L. V. III, t. 7; sive in Extrav. comm. L. III, t. 6; sive in Conc. Trid. s. XXV, c. 13, *Ref.* ubi agitur de Sepulturis. Nec verba aequipollentia deteximus.

Ceterum nulla reperiri posse in fontibus authenticis iam inde constat quod de ipsa re fuerit inter auctores dissensus et controversia: discidia ista tam perspicuo Axiomate evacuata fuissent.

3. Si iam, a *fontibus* iuris nos convertamus ad *auctores:*

Ex iis qui ante nostram aetatem de sepulturis tractarunt adivimus duos principes scientiae canonicae: REIFFENSTUEL et SCHMALZGRUEBER. Ambo ad L. III, t. 28. *De sepulturis,* ius Tridentinum et antetridentinum exponunt, sed axioma « ubi tumulus ibi funus » nusquam allegant.

Nec LAYMANN, qui argumentum versat in sua *Theologia morali,* L. III, de Iustitia Tr. V, c. 2, aliquod simile principium enuntiat.

BENEDICTUS XIV, in suis *Institutionibus,* Inst. 105, n. XXV, refert decreta quibus negatur debere prius ad parochialem ecclesiam deferri qui in Ecclesia Fratrum sepeliendi sunt; sed axioma ab ipso adhibitum fuisse non vidimus.

Nobis vicinior est LACROIX. Poena privationis

sepulturae ei est occasio agendi de sepulturis in L. VII, *De Excommunicatione,* a n. 235. Plura quidem notabilia refert. Insinuat, v. g. esse vel fuisse parochos qui portionem canonicam sibi vindicabant pro transitu per eorum paroecias corporis quod ad coemeterium seu ad sepulturam deferebatur.

Axioma autem ignorat; neque aliquam praesumptionem enuntiat.

4. Sic iam pervenimus ad aequales nostros.

Cardinalis D'ANNIBALE, qui tamen nihil scientiae iuris ignorat et proverbia seu proloquia iuridica libenter allegat, in *Summula* I, n. 112-116, sepulturam ecclesiasticam dicit duobus constare: « loco sacrov el alio ad id destinato, et ritu catholico », nullum autem axioma allegat. Nec SANTI, *Praelectiones iuris canonici,* III, 4. 5. 10; nec OIETTI, *Synopsis* n. 2142 ss; nec WERNZ in erudito suo opere *Ius Decretalium* III, Tit. 33; nec PIAT, *Praelectiones iuris regularis,* II, Q. 177; nec FERRERES, *Institutiones canónicas,* II, 138, ss. nec FANFANI, O. P. *De iure parochorum,* n. 329-354; nec FERRARIS, *Sepultura,* de axiomate loquuntur. Axioma non reperimus apud BLAT, O. P. in suo *Commentario canonum;* vel apud PRUEMMER, O. P. in suo *Manuali;* vel apud CLAEYS-SIMENON, in eorum *Manuali Iuris canonici,* p. 470 ss.

Non omnes quidem scriptores adire licuit nobis, id ultro fatemur. Quos cónsuluimus tamen sinunt nos sine temeritate istud colligere: celebratum axioma neque antiquum est neque frequentis usus. Occurrit potius in hodiernis controversiis ephemeridum, ut supra vidimus; ac sane in istud non cadit definitio REIFFENSTUEL, *De regulis iuris,* Prooemium, n. 6: « Regula iuris est sententia generalis, quae plura iura seu leges et canones hinc inde dispersos, de variis rebus eandem rationem habentibus agentes, claro ac brevi compendio complectitur ac proponit ».

II. **De propria axiomatis (?) vi et significatione.**

Utcumque se habet quaestio verbalis, iam de ipsa re significata solliciti esse debemus.

Iam vero duplex sensus ipsis verbis subesse potest. Aeque enim voces « ubi tumulus ibi funus » de *iure* tumuli et de *electione* tumuli intellegi possunt.

A. *Intellectum de iure tumuli,* effatum hanc vim habet: ex iure tumulandi ad ius funerandi concludere licet, ita ut ubi sit ius tumuli sit etiam ius funeris. Ita PICHLER, *Ius can.,* L. III, t. 28 n. 4, ex eo quod parochia propria est per se locus sepulturae, eidem ecclesiae addicit ius celebrandi exsequias et officia funebria: « istud enim resultat ex altero, quamvis sit ius distinctum et separabile ». Neque aliter DARIS, *Praelectiones canonicae De Parochis,* n. 205, « Ius funerandi includitur in iure inhumandi ». VAN ESPEN tamen, P. 3, t. 38, « De iuribus ecclesiae parochialis ad exsequias et oblationes, dum alibi sepultura est electa » magis urget distinctionem utriusque iuris: « n. IV. Ulterius notandum est quod inter se disparata omnino sint defunctorum sepultura sive inhumatio, et exsequiae, sive officium ecclesiasticum pro defuncto exsolvendum. Hinc sequitur uno indulto nequaquam alterum censeri concessum ».

Auctor animadversionum quae leguntur apud BIZZARRI, in *Collect.* p. 624 (*Aesina.* Super concordia quoad emolumenta funeris, etc.) etiam ius funerandi ut plane distinctum perhibet a iure tumulandi.

Haec causa esse videntur cur PIAT, *Praelect. iuris regularis,* II, Q. 377, 7 scribendum existimaverit: « Alii ius sepeliendi habent ut principale, ius funerandi ut accessorium; alii utrumque ius contendunt esse principale ».

Atque observes tum distinctionem iurium tum eorum coniunctionem afferri posse ut argumentum contra privilegia regularium. Quia iura erant distincta,

VAN ESPEN inferebat concessione iuris inhumandi nequaquam regularibus concessum esse ius funerandi. Quia unum in altero concluditur, professor Leodiensis DARIS concludebat cessasse pro regularibus ius funerandi, eo quod ex potestate civili practicum ius inhumandi ipsis ereptum sit.

Verum in hac re clarissima iurisprudentia Ss. Congregationum omne dubium sustulit: Regulares, praeter ius tumulandi, ius funerandi sibi legitime ascribere potuerunt.

Intellegas tamen ius tumulandi *verum*. Namque, si ex licentia facta ab Episcopo corpus cuispiam defuncti deponi potest in sepulcreto personae moralis qualis est confraternitas, huiusmodi concessio huic nullum ius dat funerandi. Cf. in *Fabrianen.* causa Funerum, 20 mart. 1830, apud PALLOTTINI *(Collectio conclusionum et resolutionum S. C. Conc.) Sepultura,* § 3, n. 32 et 33.

Sed si confratribus concessa fuit facultas exstruendi sepulcrum, cum onere solvendi quartam funeralem, ius funerandi ipso adiecto onere demonstratur concessum, ut resolvit *S. C. C.* in *Auximana,* 20 nov. 1830, et confirmavit 28 maii 1835 (PALLOTTINI, ibidem, n. 29).

Nec minus perspicue ex iisdem decretis constat intactum hodie mansisse regularibus ius seu privilegium funerandi.

Si enim coemeterium est *ecclesiasticum,* commune censetur paroeciis quae eo utuntur. Si vero, ut saepe nunc, est *municipale,* subsistit ius funerandi quale erat, cum ius tumulandi, cui annectebatur, non fuerit iure sed facto tantum sublatum. Sic, e resolutionibus *S. C. C.* in *Portuen.* et *Centumcellarum,* 28 mart. et 22 aug. 1835 et in *Ariminen.* 14 maii 1825, id collectum legimus apud BIZZARRI, *Collectanea,* p. 624:

« Cum ius funerandi plane distinctum sit a iure tumulandi, si secundum sublatum est a lege coemeteria respiciente, primum firmum remanet ».

In *Foroliviensi* 16 sept. 1871, *S. C. C.* declaravit:

« Ecclesiae quae iure sepeliendi pollebant, nunc ius istud exercent in publico coemeterio, quod sane non impedit quo minus funerum emolumenta percipiant et officium funebre super cadaveribus explere valeant » ; et in *Siracusana* funerum, 24 febr. 1872, « Quibus omnibus si addatur centies ab hoc S. Ordine definitum esse erectione coemeteriorum locum sepulturae tantum materialiter et physice mutatum esse, non vero ius sepeliendi, quod ideo integrum mansisse censuit » (*A. S. S.*, XIII, 419).

Contra igitur ac contendebat DARIS, Regulares, non minus quam quando corpora fidelium in suis ecclesiis tumulabant, vel quando propria coemeteria rite benedicta possidebant, ius habent funerandi fideles qui apud ipsos exsequias legitime elegerunt.

B. *Intellectum axioma (?) de electione tumuli* quae contineat electionem funeris, omnis quaestio ad interpretationem voluntatis eligentis reducitur.

Namque ii etiam qui contendunt funus et sepulturam iuridice non separari, efficaciam contrariae voluntatis defuncti incunctanter admiserunt.

« Quoad *ipsum defunctum*, ait MANY, *De locis sacris*, n. 191, dubitari nequit quin potuerit ordinare ut funus suum fiat in una ecclesia (v. g. parochiali aut etiam non parochiali), et tumulatio in altera ».

Ista autem defuncti intentio cum ipsis locis variare potuit, ita ut, praeter explicitam et formalem declarationem, electio tumuli potuerit in una regione vim habere electionis funeris, quae alibi omnino neganda foret.

Sane, nostris diebus, OIETTI, S. I. *Synopsis*, n. 2142 et 2148, principio « ubi tumulus ibi funus » tacite utitur ; idem SANTI, *Praelectiones iuris can.*, in L. III, t. 28, n. 10 ; idemW ERNZ, III, n. 776 et 787.

Verum observes omnes istos scripsisse in Italia. Ideo, melius doctissimus DEVOTI, *Inst. can.* L. II, t. 9 § 6, post relatam consuetudinem Italiae, id addit: « Sed in ultramontanis quibusdam regionibus, exsequiae in parochia celebrantur ». Quare etiam *Nouv. Revue théol.*, anno 1877, p. 435, minime improbat decretum Cameracense quo, etiamsi tumulatio alibi fiat, exsequiae prius celebrari iubeantur in paroecia obitus.

Nihil autem clarius quam quae habet *Conc. provinciale Mechliniense,* 1920, n. 216, 4° et 5°.

« Cum, iuxta morem in his regionibus vigentem, electio coemeterii sepulturae non necessario includat electionem ecclesiae funeris, haec ultima electio, si asseratur, legitimo modo probanda est: fieri debet, non ab heredibus, sed ab ipso defuncto vel eius mandatario, de cuius mandato debet certo constare.

« In hoc casu, propriae ecclesiae paroeciali, etiamsi officia minora ibi iam celebrata sint vel postea celebrentur, debetur portio canonica, nisi alia funebria sollemnia infra mensem post inhumationem in ea fiant.

« 5° Electio solius sepulturae in alieno coemeterio, absque electione funeris, nullum ius in exsequias ecclesiae tumulanti confert: caerimoniae tantum inhumationis iuxta Rituale in ea locum habeant ».

Praesumptio qua electio tumuli secum ferat electionem funeris pluribus decretis seu responsis *S. C. Concilii* et *S. R. Congr.* firmatur. His etiam negatur obligatio deferendi prius ad ecclesiam parochialem eos qui *sepeliendi* sint in ecclesia regulari.

Ea iam refert BENEDICTUS XIV, *Inst. can.*, 105, n. XXV.

Apud MANY n. 190, haec allegantur:

Resolutiones *S. C. C.* in *Lucana* (Lucca) 17 ian. et 14 mart. 1722; — in *Tolentina* (Tolentino) 13 iun. 1733; 23 ian. et 6 febr. 1734; — in *Viterbiensi* (Viterbo) 26 aug. 1826, ad 3; — in *Ariminen.* (Rimini), 16 iun. 1827, ad 3 et ad 4; — in *Foroliviensi* (Forlì) 26 ian. 1833; — in una *Civitatis Castellanae* (Civita Castellana) 28 ian. et 18 febr. 1764 (Negative et amplius).

Responsa *S. R. C.* in *Cassanen.* (Cassano all'Ionio), 4 maii 1647; — in *Savonen* (Savona) 19 dec. 1671 ad 4; — in *Senogallien.* (Senigallia), 22 iun. 1677; — in *Gravinen.* (Gravina), 3 oct. 1699.

His additur decretum generale super exsequiis, 23 april. 1895, n. 3854, IV « Si defunctus in alia parochiali ecclesia sit tumulandus, illius unius Ecclesiae Rectori, stola pariter induto, ius et onus competere reliqua officia ibidem peragendi super cadavere; aliisque omnibus praecedere, ne defuncti quidem parochi excepto, qui, cadavere ad ecclesiae limen delato, recedat ».

Quod modo de scriptoribus dicebamus p. 63*, valet etiam de decretis seu responsis: omnia pertinent ad partes Italiae, ubi, re vera, sicut vidimus, locus tumuli erat simul per se locus funeris.

Decretum autem generale super exsequiis nostram quaestionem directe non afficit. Agit enim de modo quo cadavera associanda sint.

Itaque occurrit nobis hic memorabile exemplum constantis iurisprudentiae S. Sedis, quae legem efficere non potuit, quia semper respiciebat et confirmabat consuetudines non universales. Quam caute igitur responsa particularia, etiam plura, observanda sunt, antequam ex iis generalem obligationem prudenter eruere queas!

Quocirca, ut ipse MANY refert, n. 191, in causa *Sutrina,* 7 dec. 1844, in qua agebatur de testamento quo defuncta funus in Collegiata et tumulum in ecclesia Cappuccinorum sibi delegerat, nemo dubium de efficacia istius dispositionis movit. De sola quarta funebri actum est, et quidem bis. Namque anno 1845, 14 iun. voluere etiam *S. C. C.* interrogare; haec autem causam remisit ad *S. R. C.*, utpote quae praeventa esset. *S. R. C.* autem confirmavit sententiam quae iusserat ut quarta ecclesiae tumulandi solveretur (*Decr. authent.*, n. 2881 et 2899).

Quid iam, vigente Codice, dicendum erit? Est qui etiamnum appellet « ubi tumulus ibi funus ». Inter

ipsos maxime insignis est MATTHAEUS a CORONATA, locis supra citatis. Magis miramur, etiam extra Italiam, id admitti a CLAEYS-SIMENON, n. 807 (ed. prior.) et a DE MEESTER, *Iuris can. et civ. Compendium*. n. 1196.

Possunt aliquatenus appellare principium c. 6, 4°, quo, in dubio, pro iure antiquo respondendum sit, sed valde deficienter, cum etiam ante Codicem non exstiterit regula generalis: « ubi tumulus ibi funus ». Verum omnino frustra argumentari tentant de inscriptione c. 2, « *De deductione cadaveris ad ecclesiam, funere ac depositione* ». Quid enim probat ista numeratio, nisi quod caput de tribus partibus aget? Immo, si ordinem observes quo in titulo numerantur, dixeris potius e funere pro depositione quam e depositione pro funere concludi posse.

Atque istud non immerito nunc asseritur ab Ill. professore qui in *Perfice Munus* rem versat, ibi tumulum esse debere ubi funus fuerit. Quod etiam in Hispania tuetur REGATILLO in *Sal Terrae,* XIV (10 oct. 1925). Ac re vera, post suppressa tam multa coemeteria ecclesiastica, accidere debuit ut ad locum sepulturae multo minus attenderetur. Praeterea, cum c. 1208 et 1209 admittant sepulcra personarum moralium, quales sunt v. g. confraternitates, quibus aliunde novimus non esse ius funerandi; rursus autem inter ecclesias funerantes non numerentur canone 1225 ecclesiae monialium, quae tamen fruuntur, secundum Codicem, iure tumulandi, duo ista iura Codice separari etiam hoc argumento probatur. Nec fas est in canonem 1216, § 1, introducere verba « vel sepulturae » ut ecclesiam parochialem prives suo iure funerandi, dum Codex excipit solum casum quo alia ecclesia *funeris* sit electa; et canone 1217 iubeat ut in dubio de iure alius ecclesiae ius propriae ecclesiae paroecialis semper praevaleat.

Dicemus igitur, *hodierno iure* tumulationem et funus ita esse separata, ut sine alio indicio non possis

unum ex altero inferre, et potius, attentis praesentibus moribus, tumulationem ut connaturale complementum habeas funeris quam ex tumulo velis regere funus.

Itaque, in fine istius brevis disceptationis, *haec ut acquisita* videmur retinere posse:

1. Ficticium est istud axioma « Ubi tumulus ibi funus», quod a paucis recens tantopere celebratur;

2. Ecclesiae vel religiones quae ex privilegio vel indulto ius tumuli obtinuerunt simul consecuta sunt ante Codicem ius funerandi.

3. Neque, post Codicem, amissio coemeterii seu usus tumulandi, sustulit ius funerandi, quod sic separatim subsistere potest.

4. Electio tumuli nec ius funerandi tribuit ecclesiae quae illud non habet, nec per se demonstrat electionem funeris in ecclesia quae ius habere potest. Sed interpretanda est voluntas eligentis, quae sive ex consuetudine sive ex aliis indiciis colligi potest. Inter ista indicia etiam qualitas sepulcri familiaris seu Maiorum haberi potest.

5. Ex quo sepultura non iam fit in ecclesia, saepe vero in coemeterio profano, nihil per se suadet, propter electionem sepulturae factam esse aliquam electionem funeris.

6. Legali praesumptioni pro funere ex tumulatione, surrogata est praesumptio pro propria ecclesia paroeciali, vi c. 1617.

7. Hodierno iure nulla ratio est cur addiceretur ecclesiae tumulanti quarta funeralis ob funus factum in alia ecclesia. Ne ante Codicem quidem responsio ista *S. C. R.* quae anno 1845 quartam ecclesiae tumulanti tribuit valere poterat ut norma generalis. Nunc autem Codex clarissime *soli ecclesiae propriae paroeciali* ius quartae agnoscit. Hodie est vere et exclusive portio *paroecialis* (1).

(1) Olim interdum etiam huiusmodi portio danda erat Episcopo: sed hoc iam diu obsolevit.

Conexa quaestio de § 7 c. 1230.

Canon 1230, § 7, sic sonat:

« Si cadaver mittatur ad locum ubi nec defunctus propriam paroeciam habebat, nec ecclesia funeris legitime fuerat electa, ius levandi cadaver, peragendi exsequias, si peragendae sint, et cadaver ad sepulturam deducendi, pertinet ad ecclesiam cathedralem eiusdem loci; quae si desit, ad ecclesiam paroeciae in qua coemeterium situm sit, nisi aliud ferant loci consuetudo aut dioecesana statuta ».

Porro conexam dicimus quaestionem istius § 7, non quod per se seu obiective referatur ad ea quae supra disputavimus, sed quia ex suo praeiudicio de axiomate(?) « Ubi tumulus ibi funus », optimi quidam auctores ad interpretationem pervenerunt quam longe a vero distare arbitramur.

Paragrapho enim isti 7, usum supponunt frequentem et ordinarium, dum re vera scripta est pro casibus raris, extraordinariis, in quibus solutio ex alio fonte repeti nequeat.

Sic R. P. MATTHAEUS a CORONATA haec habet, n. 187: « Si quis, in coemeterio communi verum sepulcrum maiorum habeat, eo transferendus sit, et ecclesia funerans, si locus sepulcri maiorum non sit in propria defuncti paroecia, ne electione quidem, ecclesia cathedralis vel alia ad normam c. 1230 erit »; — numero autem 204, distinguens casum ubi parentes vel alii quorum interest defunctum asportandum curent suis impensis in aliquod coemeterium ubi *verum* sepulcrum maiorum non habeatur, et casum ubi habeatur sepulcrum maiorum in publico coemeterio, existimat, deficiente explicita ecclesiae funerantis designatione, in priore casu ecclesiam funerantem debere esse ecclesiam propriae paroeciae; in altero casu, ecclesiam cathedralem, vel si nulla sit, ecclesiam in cuius territorio coemeterium collocatum sit. In priore enim casu, sic ipse ratiocinatur, delatio ista non est iure permissa sed summum tolerata, ac proin intactum linquit ius paroeciae propriae; dum in altero casu, supposita licita translatione, applicandus est c. 1230 § 7.

Cuius applicationis alia ratio dari nequit nisi principium « Ubi tumulus ibi funus ».

Non aliter CLAEYS-SIMENON : « Si coemeterium in quo habetur sepulcrum maiorum non sit paroeciale, ecclesia funerans ex consuetudine vel ex c. 1230 § 7, determinatur ». — Et R. D. DE MEESTER, *Iuris canonicis et civilis Compendium,* n. 1196 : « Quaenam sit ecclesia funerans quando coemeterium est civile seu pertinens ad nullam paroeciam, resolvendum est ex c. 1230 § 7 ».

Verum solutio ista in has incurrit reprehensiones :

a) Nititur regula « Ubi tumulus, ibi funus », cuius vanitas supra demonstrata est :

b) Suspecta iam est si solum consideres locum ubi § ista 7 posita est. Cur enim in fine istius canonis locatur, nisi quia solutionem praebet ubi nulla alia praesto sit ? Quod confirmatur ipsis ultimis verbis § 7 : « nisi aliud ferant loci consuetudo aut dioecesana statuta ». Non sic ius commune exhibet normas ordinarias.

c) Nec componi potest cum c. 1217 quo, in ipso dubio, praevalere debet ius propriae paroeciae. Hic, propter tumulationem in loco extraneo, ius propriae paroeciae tolleretur !

d) Ipsis adiunctis historicis falsa demonstratur. Origo § 7 repetenda est ex causa *Novarien.,* 27 maii 1893 et 21 iun. 1895, quae refertur vel in *Nouvelle Revue Théologique,* t. 25 (1893), p. 475 et t. 27 (1895) p. 468 ss ; vel *Monitore Ecclesiastico,* t. 9 (1895), p. 121. Causa autem erat huiusmodi.

Cum Novariae, ubi plures paroeciae commune coemeterium extra muros habent, non raro corpora defunctorum, qui extra urbem diem obierunt supremum via ferrea adveherentur ut in urbano coemeterio sepelirentur, quorum alii quidem domicilium vel quasi domicilium in urbe ad mortem usque habuerant, alii autem illud iam diu amiserant, alii demum numquam

possederant, sed tantummodo parentes vel consanguineos in urbe commorantes numeraverant, et cum nihil de isto casu diceretur in dioecesana synodo, nihil ex firma consuetudine colligi posset, quaesitum est a S. Congregatione, quisnam parochus vocandus esset pro sepultura.

S. Congregatio, 27 maii 1893, respondit, quoad defunctos qui domicilium habebant in civitate, vocandum esse parochum respectivae paroeciae. De ceteris voluit ut audirentur in scriptis capitulum cathedralis ecclesiae et parochi eiusdem civitatis.

Delegati autem Capituli opinati sunt ius ducendi sepulturam, pro iis qui in civitate non habebant domicilium, spectare ad parochum in cuius paroecia erant consanguinei defuncti.

Non nulli parochi volebant ut istis consanguineis sineretur esse optio vocandi quemlibet parochum civitatis. Unus, dissentiens, semper vocandum putabat parochum intra cuius paroeciam statio viae ferreae sita erat.

S. autem Congregatio respondit : « Quatenus non constet de sepultura legitime electa, nec cadaver ad parochiam domicilii deferri debeat, ius funerandi spectare ad ecclesiam cathedralem, salvis conventionibus particularibus in singulis casibus ».

Observes iam parallelismum istius causae et canonis. In causa Novariensi alii habebant in civitate paroeciam propriam alii non. Sed *S. C.* statim exclusit casum eorum qui habebant paroeciam propriam, sicut in c. 1230 § 7 excluditur; — in causa Novariensi, nulla ecclesia funeris erat electa : qui casus hic etiam excluditur ; — in causa Novariensi, ius neque ex synodo usu desumi neque poterat : in § 7 etiam praeservatur ius particulare scriptum vel consuetudinarium (1). Deficiente omni alia designatione, in causa

(1) Ita, in civitate Metensi, sepultura tum pertinet ad parochum quem advocant cognati si qui sint in civitate ; si multi sint, ad parochum stationis vire ferreae.

Novariensi sicut in canone, res addicebatur ecclesiae cathedrali, quasi communi paroeciae regionis (Rossi, *La sepultura eccl.* e L'Ius funerum, n. 55, 8). Quia canon etiam in aliis locis atque in civitatibus episcopalibus applicari debet, in canone additur quid faciendum sit ubi non sit ecclesia cathedralis.

§ 7 igitur mere praebet normam suppletivam, ac proin plene intactum sinit esse ius funeris paroeciae propriae. Providetur potissimum casibus ubi sepeliendum sit corpus cuius destinatio aliunde non sit definita.

Observes c. 1232 § 2 negari parocho strictum ius comitandi extra paroeciam corpus tumulandum in loco distanti: sed agitur de delatione sollemni. Nihil impedit quin quasi privatim corpus comitetur.

A. Vermeersch, S. I.

Num mulier occlusa possit consummare matrimonium.

1. Cum morum depravatione usque crescente frequentior etiam nostris diebus fuerit necessitas adhibendi extremum remedium dissolutionis vinculi matrimonii rati non consummati, ne sanctitas coniugii christiani abusibus longe peioribus profanaretur, opportunum visum est praesentem enucleare quaestionem de qua in iudiciis ecclesiasticis quandoque ambigi contingit. Incertitudo enim in ea resolvenda, tota oriri videtur ex suppositis minus accuratis unde alii aliter *praedicatum* ipsius explicare volunt.

2. Quod ad SUBIECTUM eius attinet, in facto physiologico consistens, variae formae et condiciones quibus occurrit, perspicue describuntur a peritissimo Jos. Antonelli, in 4ª editione *Medicinae pastoralis,* I. n. 305: « Aliquando, ait, fit ut vagina *intus occlusa* sit *transverse,* ex praesentia membranae cuiusdam, quae menstrui fluxum et fecundationem omnino, co-

pulam vero plus minus impedit, quia membrum incapax est eam lacerandi. Mulieres hunc defectum habentes, vocantur *velatae, atretae, imperforatae;* membrana quae vaginae transverse obtenditur, potest esse plus minus crassa, imperforata vel uno aut pluribus foraminibus sparsa. Si est imperforata, fecundatio est impossibilis, ut iam dixi; si vero sit perforata, fecundatio est possibilis, ut exempla probant. Aliquando etiam plures membranae suprapositae inveniri possunt. Si omnes sunt imperforatae aut nonnisi aliqua, fecundatio impossibilis; si vero omnes perforatae sunt, fecundatio est possibilis. Mulieres hac anomalia laborantes, tumorem (haematocelem) prae se ferunt ob retentionem menstrui, quae chirurgi auxilium requirit ».

3. Porro si supponatur mulier penitus imperforata, cum retentio fluxus menstrui haematocelem producat, eo ipso fundatam suspicionem, sin et certitudinem prodit impedimenti ad generationem consequendam, ideoque eo ipso officit quominus mulier possit reputari tantummodo *sterilis:* sterilitas enim consistit in *mero facto habitualis carentiae fecundationis,* cuius effectus *causa occulta ignoratur nec facile innotescere potest*, utrum ex defectu functionali tantum oriatur, an ex organico, eoque vel reparabili, vel irreparabili: secus enim, habetur *dubia impotentia*, haec autem a sterilitate prorsus differt: nam dum sterilitas sinit matrimonium absolute iniri, illa nonnisi postquam dubii solutio frustra fuerit tentata.

4. In ea porro inquisitione agi poterit de duplici diversa demonstranda impotentia: altera *generandi* tantum, dum *coeundi* potestas physiologice subsistit: altera *coeundi.* Prima, *si quidem penitus latuerit,* cum alium effectum non producat praeter constans illud factum absentiae fecundationis, sterilitatem solummodo inducit, quia normalis ceteroquin subiecti dispositio reale praebet fundamentum praesumendi ordinariam

potentiam generandi, praesumptione ipso iure naturali post lapsum Adae inducta, quae non evanescit nisi defectus evidenter se prodiderit. *Si vero certo innotuerit,* impossibilem efficit intentionem obiectivam prolis saltem praesumptive possibilis, qui *finis* est *operis* ipsius matrimonialis contractus, uti constat ex ipsa traditione catholica, ab initio primaevae revelationis usque ad aetatem nostram sine interruptione producta. Unde matrimonium ineundum invalidat non quidem ex capite impotentiae generandi qua tali, (1) sed ex capite vitiati consensus, quippe qui ferri debet in specificam contractus causam.

5. Si vero vaginae occlusio reperta fuerit totalis atque insanabilis absque vitae periculo, Cl. P. Director horum *Periodicorum* (vol. XIV, pag. (54)-(66)), egregie demonstravit naturam *canalis* ipsi ex instituto divino requisitam in matrimonio naturali, mutari in *saccum* penitus obstructum, ipsamque ideo ineptam fieri ad coitum naturaliter exercendum, quo semen ad uterum transferatur.

6. Absurdum nimis enim est praedicare huiusmodi vaginam et copulam in ea completam, « *secundum se ad generationem idoneam* », cui ratio canalis subtracta fuerit, sacco substituto. Huiusmodi copula igitur deficit in elemento ipsi coitui essentialiter requisito impotentiamque *coeundi* in feminam inducit, simili titulo ac completa frigiditas eandem in virum infert.

7. Hisce itaque suppositis, in casu particulari praevie inquirendum erit utrum vaginae occlusio innotuerit antequam contractus iniretur, an postea tantum : utrum scilicet agatur de *contrahendo* an de *contracto.* Si primum, et inquisitione rite facta, defectus insanabilis absque vitae discrimine fuerit agnitus, sive ex

(1) Notissima responsa S. Officii et S. C. de Sacramentis, quibus edicitur matrimonium non esse impediendum, referuntur ad impedimentum impotentiae, de cuius natura disputant hodie usque DD. Sententia vere heic asserta nititur doctrina catholica, expressa etiam a S. Thoma loco inferius citando.

capite impotentiae *coeundi* sive, uti explicatum est, ex capite vitiati consensus, propter *manifestam* impotentiam *generandi,* matrimonium erit impediendum.

8. Si alterum, plerumque agetur de muliere non penitus imperforata, cumque fecundatio, etsi forte difficilior non tamen impossibilis irremediabiliter praevideri debeat, nulla specialis difficultas opponi poterit iudicio consueto de facto consummationis, ne ex parte quidem contractus prius legitime initi, cui nullum occultum suberat impedimentum.

9. At vero casus etsi forte rarior occurrere poterit, absentia scilicet menstruorum aliunde causata, quin necessario arguat ineptitudinem ad generandum, nec haematocelem inducat ideoque sinat mulierem se reputare sterilem tantum, matrimoniumque inire omnino valide. Vel etiam fieri potest, ut, dum mulier occulte laborat defectu organico ad generandum, vel etiam vaginae occlusione totali, fluxus tamen periodicos patiatur ex congestione alia locali sanguinis unde menstrua illa simulentur, mulierque se reputet tantummodo sterilem. Sed quidquid sit de huiusmodi pathologico statu mulieris, contingere potest et revera quandoque contingit feminam, matrimonio utcumque contracto absque ulla invaliditatis suspicione, postea ex constanti carentia prolis sterilem tantum reputari, atque inspectioni accuratiori peritorum subiectam, reperiri penitus occlusam ex anomalia superius descripta. Quaestio tunc sua sponte oritur utrum copula quam physiologice completam in eo statu admiserit, consummasse matrimonium omnino dici debeat.

10. Porro satis constat praevie inquirendum fore utrum forte ex inconsulta negligentia sterilis tantum vel etiam simpliciter matrimonio non inepta, ante contractum reputata fuerit, dum e contra, *facili* inspectioni subiecta, se prodidisset penitus ineptam ex capite unius alteriusve impedimenti superius memorati. Unde

locus non esset declarandi veram sterilitatem nuptiis praecessisse quae validitati earum absolutae non officeret, sed potius definiendi impedimentum antecedens quo dirimebantur. At remota huiusmodi hypotesi quae nullam prae se fert difficultatem, summopere iuvat sistere in altera hypotesi qua neutrum ex binis illis impedimentis declarari potuerit matrimonium certo effecisse nullum, unum quidem vi canonis 1068 § 2, quo sancitur impotentiam *coeundi* quam diu dubia exstiterit, matrimonium non impedire: alterum quia non plene constiterit de *effectiva* ineptitudine *ad generandum* unde *praesumptio naturalis huiusmodi potentiae nondum evanuerit.* In isto itaque duplici casu, solum remedium de quo quaestio institui forte possit, reducitur ad pontificiam potestatem dissolvendi matrimonium ratum quidem sed non consummatum.

***

11. Ita paulatim devenimus ad discussionem PRAEDICATI propositae quaestionis. Omnes equidem conveniunt eo actu matrimonium consummari in quo comprobatur factum ipsa revelatione definitum (Gen. 2, 24; Matth. 19, 4-6; Marc. 10, 6-8; 1 Cor. 6, 16), duos scilicet, masculum et feminam ideo praecise in eo sexus discrimine esse creatos, ut invicem adhaerendo fiant non solum physiologice *unum corpus* sicut dicit Apostolus de fornicante cum meretrice, sed fiant duo *in carne una,* viro *uxori* ita adhaerente ut iam non sint duo sed *una caro; idque in ordine ad finem illum propagandi sibi similes, cui suapte natura destinatur illa sexus diversitas et stabilis connubii institutio divina* (1).

12. At vero dum uno ore omnes protestantur ma-

(1) Cfr. recentissimus articulus advoc. VIGLINO in ephem. « Il Diritto Ecclesiastico », Maggio-Giugno, 1927; pag. 273.

trimonium tunc consummari quando coniuges fiunt una caro: miro dissensu discordant in determinando *formalem rationem* qua haec *una caro* in coniugibus *actu obtinet.*

13. Fuerunt qui cum THOMA SANCHEZ contenti fuerunt illo solo *formali effectu* coniunctionis *sanguinum* (1) *quomodocumque* obtentae, etiam absque physiologica membrorum genitalium unione naturali: v. gr. vel miraculose uti Sanchez imaginabatur, vel artificiose, uti hodie ex artificiali fecundatione; sive per extractionem seminis ex epididymo eiusque in interiora uxoris projectionem.

14. Alii requirunt simul et hunc *formalem effectum* coniunctionis sanguinum, et membrorum coniunctionem quae ex ipso naturae instituto est *causa formalis* illius unitatis duorum in carne, causaque *efficiens initialis* praedicti formalis effectùs. Hi porro subdividuntur in varias opiniones: sunt enim qui sine distinctione exigunt simpliciter *actualem et effectivam possibilitatem* huius formalis effectus coniunctionis sanguinum, quin videantur advertisse, eam deficere tum in unione viri cum uxore praegnante, tum in eiusdem unione cum uxore sterili, adeo ut neque haec neque illa unio matrimonium consummaret, quod absonum esset veritati.

15. Alii eam possibilitatem requirunt solummodo *praesumptiva* et *in habitu,* non vero in actu, quantum nempe ex ipso fine primario divinitus cuicumque coniugio praestituto essentialiter requiritur ut hoc valide iniri possit: id est *ex praesumptione naturalis potentiae generandi,* cuique indita, quam diu non fuerit evidenter demonstrata contrarie et irreparabiliter amissa; quo

(1) Antiqui sanguinum unione significare intendebant illumformalem effectum intranei processus functionum naturalium, in muliere provocatum iniectione seminis virilis. Equidem plus minusve errabant in eius ratione physiologica *explicanda,* quam progressus physiologicae experimentalis accuratius definivit; sed in re *designanda* non errabant.

solo in casu haec praesumptio naturalis evanescit, uti omnes omnino concedere debent.

16. Alii tandem omnino *praescindunt* a requirendo *effectu illo formali,* et contenti sunt ad matrimonium consummandum, ut locum habeat illa coniunctio membrorum genitalium cum seminatione viri, quae est *causa formalis* unitatis duorum in carne atque ex se sola efficienter initiat totum intraneum processum naturae ad generationem obtinendam. Quare, v. gr. in femina totaliter et irreparabiliter recisa in ovariis, copulam viri seminantis praedicant matrimonium consummare.

17. Ut igitur brevissime indicem qua ratione censeam ego minus habens in consessu tot et tantorum Doctorum, controversiam posse resolvi, dicam 1^0): effectiva prolis conceptio est quidem terminus ultimus totius operis sexualis, qui si obtineatur, effective etiam demonstrat matrimonium perfecte consummatum ; dummodo tamen non aliter fuerit productus quam per processum illum naturalem causae efficientis formalis coniunctionis masculi et feminae in effectum formalem uniendae carnis seu coniunctionis sanguinum : institutio enim divina matrimonii non est in partes scindenda sed tota admittenda in complexu successivo singulorum elementorum.

18. Quamvis igitur utcumque contingere possit terminum illum conceptionis aliter perfici, nequit esse signum consummati matrimonii, nisi resultaverit ex *formali* illa unitate carnis in *formali* coniunctione sexuali duorum qui efficienter eam initiaverint. Seponenda est igitur illa Sanchez explicatio, quatenus sensu exclusivo et diminuto proponitur primaevae matrimonii institutionis.

19. 2^0) Ex ea tamen institutione discimus prolis generationem intendi tamquam finem primarium nedum generalis institutionis tantum, sed etiam *operis* singulorum coniugiorum, adeo ut S. Thomas ex traditione

catholica edoctus, professus fuerit *intentionem prolis* essentialissimum quid esse *ex ipsa pactione* causatum, adeo ut si quid contrarium exprimeretur in consensu non esset verum matrimonium (1). Porro consequenter ad statum poenae cui mulier reducta est ex Adae peccato (2), ista proles non potest tamquam finis operis coniugii intendi, nisi ut *praesumptive possibilis,* praesumptione illa *naturali* in constitutione physica normali personae fundata, quae exterius et facile cognoscibilis semper fuit etiam absque exquisitiori scientiae psychologicae investigatione. Haec autem praesumptio naturalis non evanescit nisi facto contrario evidentissime demonstrato, non vero plene ex humanis illis praesumptionibus quae licet ut plurimum contrariae sint, nondum tamen excludunt possibilitatem prolis sufficientem ut praesumptio naturalis sustineri debeat (3). Ideo Ecclesia, ipsa divina revelatione variis modis edocta, matrimonium usque permittit seni vel decrepito et vetulae; imo et sterili, quia et quamdiu *nescitur* utrum *factum* carentiae prolis in eo sterilitatis statu, oriatur ex vitio organico ac incurabili, an non.

20. 3°) Exinde sequitur in causa efficiente et formali et in effectu formali, unde resultat in masculo et femina effective *una caro,* sensu explicato, non haberi *matrimonii consummationem, si obiective exclusa fuerit atque evidentissime illa ex natura praesumptibilis possibilitas prolis:* quemadmodum nemo dixerit matrimonium consummari a viro qui copulam condomistice attentat, vel a femina quae pessario impenetrabili se munit, quamvis *functionale* tantum potentiae exercitium excludant, ita, dicam a fortiori matrimonium non con-

(1) Supplem. Q. 49, a. 3, in corp.

(2) Gen. III, 16: Mulieri quoque dixit: multiplicabo aerumnas tuas et conceptus tuos: in dolore paries filios, etc.

(3) Hoc debet esse et est in comperto apud omnes; secus enim infinitae orirentur perturbationes in societate matrimoniali. Nec vacat idipsum in praesenti explicari.

summari, si non libero artificio sed necessario naturae vitio contrario positive et manifeste excludatur illa ipsius *potentiae* possibilitas.

21. Actus perpetratus physiologice et materialiter spectatus erit unius carnis effectio ; sed neutiquam illa *matrimonialis* quam exigit institutio divina. Equidem si partes iam legitimo coniugio aliunde fuerint coniunctae ut fusius explicavi in principio, actus tamen quem ita ponunt, non est ordinate maritalis et multo minus consummativus matrimonii ; deficit enim ex parte finis *operis* non solum praecisive (quod profecto licet his coniugatis) sed contrarie et positiva obiectivaque exclusione (1).

22. CONCLUDERE itaque licet mulierem de qua n. 9 casum proposui, quam diu reperta fuerit et remanserit penitus occlusa, matrimonium non consummare illa copula utut physiologice completa quam admiserit, quippe quae non fuerit perfecte *coniugalis,* fine operis obiective et contrarie excluso quem divina institutio matrimonio essentialiter praestituit.

Romae, die sexta Maii, 1927.

G. ARENDT, S. I.

Synoptica Propositio

Sententiarum S. R. Rotae de Matrimoniorum nullitate

Causarum matrimonialium quae coram Sacra Romana Rota a duodeviginti annis post illius tribunalis Pianam restaurationem actae sunt, brevem conspectum proponere visum est. Scopus noster sane non est ut principia iuris matrimonialis paucis his verbis exponere

(1) Alia quaestio erit de *licitate* eius inter legitimos coniuges, quibus in finem secundarium matrimonii, multa permittuntur incompleta et insufficientia spectato fine primario. Sed hanc quaestionem in praesenti omittere possum.

tentemus, cum tot peritorum libri ante et post Codicem magno labore conscripti ad iuris illius plenam expositionem vix suppetant. Sit igitur brevis hic conspectus non principiorum sed causarum. Notum est Sacrae Romanae Rotae decisiones non constituere authenticas legis interpretationes. Merito autem ingenti auctoritate gaudent tamquam doctrinae moralis et iuridicae praestantia exempla. Immo, qui casuum huiusmodi studio vacat, tutam et amoenam, licet longiorem, ducit viam qua ipsius iuris scientiam assequatur. Quare non parum prodesse videtur ab initio prae oculis habere conspectum quo lector primo aspectu videat quot sint recentiores causae Rotales de matrimonio cognoscendae; ubinam inveniantur; quaenam quaestiones iuridicae et morales in iis frequentius occurrant; quomodo plerumque dirimantur, etc. Ceterum pro re apologetica non sine fructu erit summatim compertum habere quotiens hoc tribunal nullitatem matrimoniorum certam esse decreverit, necnon inter se conferre causas et aestimare rationes quibus declarationes pro nullitate nitantur.

Unum hoc demum praefari iuvat. Conclusiones nostrae omnes ex publicis fontibus desumptae sunt, nec quidquam ex secretis Rotae archivis hic affertur. Annumerationem enim confecimus exclusive ex libris 1-19 ephemeridis Acta Apostolicae Sedis, *et* voluminibus *1-11 Sacrae Romanae Rotae Decisionum seu Sententiarum* (1). *Vix necesse est indicare computationes nostras, utpote ex talibus fontibus haustas, infallibilitate nequaquam pollere. Fieri enim potest ut non nullae causae matrimoniales coram tribunali actae sint de quibus ne verbum quidem in Actibus apparuerit. Pro ultimis his annis vero omnes causas quae de nullitate matrimonii coram Rota disputatae sint, saltem summatim et reticitis nominibus fuisse in* A. A. S. *relatas satis constat. Inde ab*

(1) Brevitatis causa hae collectiones posthac indicabimus initialibus litteris, A. A. S. et R. D.

anno 1920 mos viget uno loco in A. A. S. *edere catalogum omnium causarum Rotalium quae anno praecedente sub secreto actae sunt. Indicatio huius loci in indice chronologico voluminum pro annis 1920 et 1921 desideratur; ipsa enumeratio vero causarum, in volumine 1920, paginas 48 ss,, in volumine 1921 paginas 165 ss. occupat.*

Hic praelibatis, causae ipsae loquantur. Ecce iam habes summatim recensitas omnes causas matrimoniales quae coram S. R. Rotae tribunali restituto usque ad sententiam definitivam ductae sunt.

TABULA 1.

Annus quo prodiit sententia definitiva	Numerus sententiarum in causis matrimonialibus hoc anno latarum	Numerus voluminis R. D. in quo sententiae referuntur.
1909	8	1
1910	21	2
1911	26	3
1912	25	4
1913	25	5
1914	16	6
1915	21	7
1916	18	8
1917	19	9
1918	16	10
1919	13	11
1920	24	
1921	27	
1922	32	
1923	32	
1924	42	
1925	49	
1926	46	
	460	

(Nota. Volumen 12, continens sententias latas anno 1920 iam nunc pro prelo aptatur).

(Nota. Ex 460 sententiis, 275 nullitatem matrimonii declaraverunt).

(Nota. Numerus *matrimoniorum* quae finaliter et definitive declarata sunt nulla, 218).

De supra scripta tabula hoc primum notandum venit, quod sane lugendum est, nempe nullam Rotalem decisionem recentiorem quam anni 1920 editam esse in serie Rotae Decisionum. Undecim primi tomi referunt 371 causas ; verum attendamus tantum ad causas matrimoniales. Hae numerum 226 explent ; quarum media pars, circiter 110, simul in *A. A. S.*, voluminis 1-12 editae sunt. Post inceptum annum 1920, latae sunt sententiae definitivae in 234 causis matrimonialibus, quarum ne una quidem in dictis voluminibus *R. D.* locum obtinet, dum per idem tempus paucae omnino fuerunt decisiones quae in recentioribus tomis *A. A. S.* fuerunt extensae (1). Ex 460 sententiis in causis matrimonialibus, igitur, vix quarta pars in *A. A. S.*, media pars in *D. R.* lectori praesto sunt. At, ex causis *post Codicem* actis, paucae omnino ex alterutra parte habentur.

Cum autem inde ab anno 1920 summaria relatio omnium causarum in *A. A. S.* accurate facta esse videatur, potuimus saltem partem dispositivam sententiarum colligere. Inde compertum habemus interrogationi illi « an constet de nullitate matrimonii in casu », « affirmative » responsum fuisse ducenties septuagies quinquies (275) ; qui numerus non videtur immodicus pro undeviginti annis. Sed omnino notari debet numerum *matrimoniorum* quae nulla sunt declarata, ne hanc quidem copiam attigisse. Nam numerus ille 275 conflatur ex *decisionibus* quarum plures non raro in eadem causa vicissim prodierunt, appellatione facta scilicet a Defensore vinculi. Immo, ibi numerantur etiam decisiones quae postea, re melius cognita, infirmatae sunt. Spectatis historiis singularum causarum, constat numerum matrimoniorum quae finaliter et definitive condemnata sunt de nullitate, non

(1) Quinque tantum decisiones causarum matrimonialium in *A. A. S.*, vol. 13-18 plene referuntur.

superare 218; ex quibus ulterius subtrahi deberent causae quaedam recentiores (quot sint autem nescimus) quae ex appellatione Defensoris vinculi adhuc in lite pendent. Dicamus igitur 218 —.

Sed iam de rationibus nullitatis inquiramus.

TABULA 2.

Ratio accusationis matrimonii		Sententiae « Constat de nullitate »	Sententiae « Non constat »	Summa sententiarum de hac re
Consanguinitas		1	2	3
Cognatio spiritualis		1	0	1
Affinitas		10	7	17
Publica honestas		2	0	2
Disparitas cultus		0	2	2
Crimen		2	1	3
Ligamen		1	0	1
Raptus		2	0	2
Impotentia		33	5	38
Consensus deficiens	Clandestinitas	22	20	42
	Defectus consensus	21	23	44
	Amentia	14	7	21
	Consensus condicionatus	32	40	72
	Consensus simulatus	12	8	20
	Vis et metus	122	70	192
		275	185	460 (1).

(1) Numerus sententiarum « constare de nullitate » quem in nota primae tabulae annexa retulimus, ex hac secunda tabula desumptus est. Quod autem *numerus totalis sententiarum* in tabula secunda, 460, concordat cum numero totali in tabula prima, hoc dico esse per accidens, cum hi duo numeri 460 in utraque tabula non omnino easdem res repraesentent. Ex qua accidentali rerum diversarum concordantia, ne oriatur confusio, haec notanda sunt:

1. In causis de nullitate nonnumquam plures rationes accusationis adductae sunt. In his casibus, quoties decisio fuit « constare de nullitate », solam praevalentem rationem nullitatis in tabula secunda retulimus; ceterae enim rationes plus minusve in ipsa decisione praetermissae sunt, et in relatione negligi possunt. E contra, quoties responsio iudicialis « non constare de nullitate » lata est, toties exstat sententia negativa super singulis rationibus pro nullitate

Consulto tabula secunda ita instructa est ut quasi prono alveo in duas partes fluat, quarum una continet causas quae de nullitate ob quemcumque consensus defectum tractant, altera ceteros omnes casus includit. Harum causarum, quae decem prioribus tabulae capitulis comprehenduntur, longe praestantior pars sunt illae 38 causae de impotentia. Hae profecto notatione et enixo studio dignae sunt, quoniam res ad ius naturale pertinet, neque de ea ulla mutatio Codice inducta est (1).

---

adductis. Quare in columna « non constat », tabulae secundae, *duplicantur annumerationes* quoties duplicatae sunt rationes quibus matrimonium illud accusabatur. Inde summa *decisionum* « non constat » per se deberet excedere numerum *causarum* in quibus talis decisio lata est; et sic augeri deberet etiam *summa totalis sententiarum* in tabula secunda, super summam quae in tabula prima relata est. At,

2. Inter illas 460 causas matrimoniales tabulae primae, numeratae sunt circiter 25 quae inter sententias de nullitate non sunt referendae, quia non agunt de nullitate, sed de variis aliis rebus matrimonialibus; scilicet de dispensatione super rato et non consummato, de separatione coniugum salvo vinculo, de sponsalibus et reparatione damnorum, etc. Hae, ut causae matrimoniales, in prima tabula referri debuerunt; at cum non sint causae de nullitate, locum inter sententias de nullitate, tabula secunda relatas, minime obtinent.

Mero casu igitur accidit quod causae matrimoniales quae non sunt de nullitate, aequivalent numero rationum multiplicium quae in causis de nullitate negative decisis adductae sunt. Hinc concordantia mere apparens, seu accidentalis, eiusdem numeri 460 in prima et in secunda tabula.

(1) Admirationem movere non debet paucitas causarum de quibusdam impedimentis dirimentibus proprie dictis. Hujusmodi causae enim plerumque ad S. R. Rotae tribunal non perveniunt. Iam sub iure ante Codicem vigente, quaedam impedimenta, nominatim disparitas cultus, ligamen, consanguinitas, affinitas ex copula licita, cognatio spiritualis, necnon quasi impedimentum clandestinitatis, fuerunt « casus excepti », in quibus scilicet, si defectus validitatis fuerit evidens, ipsi Ordinarii nullitatem declarare valebant quin opus esset secunda sententia (Cf. *S. C. S. Off.*, 5 iunii 1889). Post Codicem, quandocumque agitur de impedimentis disparitatis cultus, ordinis, voti sollemnis castitatis, ligaminis, consanguinitatis, affinitatis, aut cognationis spiritualis, Canon 1990, impletis statutis condicionibus, permittit Ordinariis matrimonii nullitatem declarare cum interventione Defensoris vinculi « praetermissis sollemnitatibus », i. e. per modum administrativae declarationis, sine necessitate veri processus iudicialis. Quam facultatem, saltem generatim loquendo auctores extendunt ad casum clandestinitatis. (Cf. CAPPELLO, *De Matr.*, n. 893; WERNZ-VIDAL, *Ius Matr.*, n. 705; Resp. Comm. Cod. 16 Oct. 1919, *A. A. S.*, XI, 479). Quare mirum non est causas de nullitate matrimonii ob has rationes accusati, rarius coram S. R. Rota fuisse agitatas. Amplior copia decisionum de clandestinitate ex eo provenit quod sub iure decr. *Tametsi*, unde illae causae vix non omnes ortae sunt disputationes de proprio parocho non solum frequentiores sed et valde implexae esse solebant. Tandem, numerus non tenuis causarum de affinitate pari ratione explicatur. Agitur enim praesertim de affinitate ex copula illicita sub antiquo iure.

Sed longe maior pars sententiarum, ut inspicienti tabulam patet, circa consensum matrimonialem versatur ; et in hac re stat decisionum Rotalium pro iure cognoscendo maxima utilitas. Namque Codex, canonibus 1081-1093 de consensu matrimoniali, summa principia iuris naturalis et canonici, parcis et exquisitissimis verbis exprimit. Sed aliud est principia cognoscere, aliud applicare. In quaestionibus difficillimis quae ex consensu quomodocumque vitiato nascuntur, non parum prodest latas sententias perpendere, quibus de vero consensu matrimoniali in concretis casibus iudicatum est. Quare, ut commodius fiat consultatio S. R. Rotae decisionum, in sequentibus tabulis causae secundum geueralem classificationem vitiati consensus ordinantur. Demum additae sunt etiam tabulae causarum de impotentia et de dispensatione super matrimonio rato et non consummato.

TABULA 3.

Defectus Consensus

R. D. (vol. - pag.)	A.A.S. (vol. - pag.)	Notanda	Sententia
2 (1) - 19	2-297	Consensus per epistolam	*Neg.*
2 - 112			*Neg.*
2 - 123	2 - 524		*Neg.*
2 - 157		Matrimonium civile	*Neg.*
2 - 313 (Cf. 4 - 289)		Matrimonium civile	*Neg.*
2 - 334		Error	*Neg.*
3 - 15 (Cf. 3 - 460)		Simulatio	*Aff.*
3 - 236		Simulatio	*Aff.*
3 - 325	3 - 525	Simulatio	*Aff.*
3 - 346		Simulatio	*Aff.*
3 - 460 (Cf. 3 - 15)		Simulatio	*Aff.*

(1) Causa haec refertur quia est fere sui generis. Proprie autem potius pertinet ad *formam* consensus, de qua re tabulam propriam non confecimus.

R. D. (vol.-pag.)	A.A.S. (vol.-pag.)	Notanda	Sententia
4 - 95	4 - 377	Matrimonium civile	*Aff.*
4-289 (Cf. 2 - 313)	4-629	Matrimonium civile	*Neg.*
4 - 375	5 - 164	Matrimonium civile	*Aff.*
4 - 459		Simulatio	*Neg.*
5 - 210		Simulatio (et metus)	*Aff.*
5 - 242	5 - 372	Error personae	*Aff.*
6 - 25 (Cf. 6 - 323)		Simulatio (et condicio)	*Aff.*
6 - 88		Matrimonium civile	*Neg.*
6 - 242	6 - 516	Simulatio	*Neg.*
6 - 307	7 - 51	Matrimonium civile	*Aff.*
6 - 323 (Cf. 6 - 25)		Simulatio (et condicio)	*Aff.*
7 - 194		Simulatio	*Aff.*
8 - 48		Simulatio	*Neg.*
8 - 196		Simulatio	*Neg.*
10 - 130	11 - 358	Matrimonium civile	*Aff.*
11 - 36		Simulatio	*Aff.*

TABULA 4.

Consensus Condicionatus

R. D. (vol. - pag.)	A.A.S. (vol. - pag.)	Notanda	Sententia
1 - 68 (Cf. 2 - 299)	1 - 561	Condicio non impleta	*Neg.*
1 - 102	1 - 660		*Neg.*
1 - 155		Contra bonum prolis	*Neg.*
2 - 299 (Cf. 1 - 68 ; 3-292)	2-961	Condicio non impleta	*Aff.*
3 - 172			*Neg.*
3 - 292 (Cf. 1 - 68; 2-299)	3-497	Condicio non impleta	*Aff.*
3 - 507 (Cf. 5 - 173; 7-20)	3-146	Contra bonum sacramenti	*Neg.*
4 - 33			*Neg.*
4 - 235 (Cf. 8 - 313)			*Neg.*
5 - 1	5 - 44	Condicio non impleta	*Neg.*
5 - 173 (Cf. 3 - 507; 7-20)	5-312	Contra bonum sacramenti	*Aff.*
5 - 611 (Cf. 7 - 452 ; 9-67)			*Neg.*
5 - 636 (Cf. 7-369)			*Aff.*
6 - 7 (Cf. 10 - 109)		Contra bonum sacramenti	*Neg.*
6 - 25 (Cf. 6 - 323)			*Aff.*
6 - 56		Contra bonum prolis	*Aff.*

R. D. (vol.-pag.)	A. A. S. (vol.-pag.)		Sententia
6-323 (Cf. 6-25)			*Neg.*
6-339 (Cf. 11-145)		Contra bonum prolis	*Neg.*
7-20 (Cf. 3-507; 5-173)	7-292	Contra bonum sacramenti	*Neg.*
7-43 (Cf. 9-49)		Modus an condicio?	*Neg.*
7-160	7-442	Contra substantiam	*Aff.*
7-369 (Cf. 5-636)			*Neg.*
7-452 (Cf. 5-611; 9-67)			*Neg.*
8-139		Contra bonum prolis	*Aff.*
8-313 (Cf. 4-235)			*Neg.*
9-49 (Cf. 7-43)	10-108	Modus an condicio?	*Neg.*
9-67 (Cf. 5-611; 7-452)		Tertia conformis sententia	*Neg.*
9-161	10-215		*Neg.*
10-109 (Cf. 6-7)			*Neg.*
11-145 (Cf. 6-339)		Contra bonum prolis	*Aff.*

Nota — Consuli etiam potest sententia lata die 2 Aug. 1918, speciali Commissione S. R. E. Cardinalium, decernens « constare de nullitate » ob condicionem appositam et non impletam. Cf. *A. A. S.*, 10-388

TABULA 5.

Vis et Metus

R. D. (vol.-pag.)	A. A. S. (vol.-pag.)	Sententia
2-68	2-348	*Aff.*
2-288	2-886	*Aff.*
3-114	3-166	*Aff.*
3 (1)-122	3-244	*Neg.*
3-202		*Aff.*
3-224	4-108	*Aff.*
4-20	4-182	*Aff.*
4-26 (Cf. 4-261)		*Aff.*
4-124	4-503	*Aff.*
4-214	4-474	*Aff.*
4-250 (Cf. 5-485)		*Neg.*
4-261 (Cf. 4-26)		*Aff.*
4-301		*Aff.*
4-328		*Neg.*
4-401	4-708	*Neg.*

(1) De metu ex parte viri.

R. D. (vol.-pag.)	A.A.S. (vol.-pag.)	Sententia
4 - 437		*Neg.*
4 - 469		*Aff.*
5 - 53	5 - 253	*Aff.*
5 - 321		*Neg.*
5 - 460	5 - 552	*Aff.*
5 - 485 (Cf. 4 - 250)	(Cf. A. A. S. 11-295)	*Neg.*
5 - 611 (Cf. 7 - 452 ; 9-67)		*Neg.*
6 - 181		*Neg.*
6 - 244	6 - 675	*Neg.*
6 - 269		*Neg.*
7 - 80		*Neg.*
7 (1) - 111 (Cf. 7 - 465)	7 - 349	*Neg.*
7 - 144 (Cf. 8 - 289)	7 - 424	*Neg.*
7 - 151		*Neg.*
7 - 236 (Cf. 8 - 132)		*Aff.*
7 - 243		*Aff.*
7 - 356		*Neg.*
7 - 385		*Aff.*
7 - 420 (Cf. 8 - 325)		*Aff.*
7 - 445		*Neg.*
7 - 452 (Cf. 5-611 ; 9-67)		*Neg.*
7 (1) - 465 (Cf. 7 - 111)		*Neg.*
8 - 35		*Aff.*
8 - 59	8 - 200	*Aff.*
8 - 132 (Cf. 7 - 236)		*Aff.*
8 - 212		*Aff.*
8 - 230	8 - 487	*Aff.*
8 - 289 (Cf. 7 - 144)	9 - 441	*Neg.*
8 - 325 (Cf. 7 - 4200	9 - 356	*Aff.*
8 - 364	9 - 464	*Aff.*
9 - 1	10 - 377	*Neg.*
9 - 11 (Cf. 9 - 103)		*Aff.*
9 - 23	9 - 503	*Aff.*

(1) De metu ex parte viri.

9 (1) - 37	10 - 108	*Neg.*
9 - 61	10 - 70	*Aff.*
9 - 103 (Cf. 9 - 11)	9 - 574	*Aff.*
9 - 126	10 - 158	*Neg.*
9 - 210	10 - 291	*Neg.*
9 - 286 (Cf. 11 - 65)		*Aff.*
9 - 315	10 - 420	*Neg.*

VIS ET METUS (cont.)

R. D. (vol. - pag.)	A. A. S. (vol. - pag).	Sententia
10 (2) - 11 (Cf. 11 - 118).	11 - 22	*Aff.*
10 - 27		*Neg.*
10 - 36 (Cf. 11 - 87)	11 - 89	*Aff.*
10 - 41		*Neg.*
10 - 52		*Neg.*
10 - 57 (Cf. 11 - 131)	11 - 192	*Aff.*
10 - 102 (Cf. 11 - 9)		*Aff.*
10 - 124	11 - 290	*Aff.*
11 - 9 (Cf. 10 - 102)	11 - 428	*Aff.*
11 - 65 (Cf. 9 - 286)		*Aff.*
11 - 72	12 - 373	*Aff.*
11 - 87 (Cf. 10 - 36)		*Aff.*
11 - 93		*Aff.*
11 (3) - 118 (Cf. 10-11)		*Aff.*
11 - 131 (Cf. 10 - 57)		*Aff.*
11 - 192	18 - 501	*Aff.*

TABULA 6.

Amentia

R. D. (vol. - pag)	A.A.S.	Sententia	R.D. (vol. - pag.)	A.A.S.	Sententia
1 - 85		*Aff.*	6 -142		*Aff.*
1 - 164	2 - 121	*Aff.*	7 - 215 (Cf. 10-1)	7-572	*Aff.*

(1) Sententia infirmata 4 aug. 1926 (*A. A. S.*, 19-70).
(2) -- De metu ex parte *viri*.
(3) -- Haec sententia infirmata est 4 aug. 1926. Cf. *A. A. S.*, 19-70.

R. D. (vol.-pag.)		A.A.S. (vol.-pag.)		Sententia	
2 - 144	*Aff.*	8 - 202			*Aff.*
5 - 142	*Aff.*	10 - 1 (Cf. 7-215)		10-517	*Aff.*
5 - 562	*Neg.*	10 - 142		12-338	*Aff.*
5 - 574	*Aff.*	11 - 170		13-54	*Aff.*

TABULA 7.

Impotentia

R.D. (vol. - pag.)	Sententia	R.D. (vol. - pag.)	Sententia
1 - 136	*Aff.*	8 - 1 (Cf. 9-147	*Aff.*
2 - 278	*Neg.*	8 - 101 (Cf. 9-30)	*Aff.*
3 - 39	*Aff.*	8 - 147	*Aff.*
5 - 23 (Cf. 5-662; 10-71; etiam A. A. S. 7-355)	*Aff.*	9 - 30 (Cf. 8-101	*Aff.*
		9 - 147 (Cf. 8-1)	*Aff.*
5 - 355	*Aff.*	9 - 217	*Aff.*
5 - 466	*Aff.*	9 - 274	*Aff.*
5 - 662 (Cf. 5-23; 10-71; etiam A. A. S. 7-355)	*Neg.*	10 - 71 (Cf. 5 - 23; 5-662; etiam A. A. S. 7-355)	*Aff.*
6 - 242	*Aff.*	10 - 113	*Aff.*

TABULA 8.

De dispensatione super rato

R. D. 3 - 340 (Cf. 2 - 278)
6 - 207
7 - 207
9 - 221

T. L. Bouscaren, S. I.

De iure postliminii ex causa Rotali 23 ian. 1927.

Nomine iuris *postliminii* intellegitur « ius amissae rei recipiendae ab extraneo et in statum pristinum restituendae ». Haec definitio iurisconsulti Pauli refertur in Dig. L. 49, t. 15. Quod ius nostris diebus frequenter religiosis competit. Ipsi enim quam saepe bonis suis spoliantur! *Iniusta* autem *vi* cui cedere cogantur nihil de ipsorum iuribus detrahi posse prima specie perspicitur.

Huc autem pertinet causa Rotalis, quae decisa est 23 ian. 1927, et cuius dispositiones, reticitis partium nominibus et patria, exscribuntur in *Acta Apostolicae Sedis,* 1 feb. 1927, XIX, p. 62, unde easdem mutuamur.

« *Dubium:* « Quibus Monialibus e Communitate et quomodo restitutio controversae domus a D. M. A. peragenda in casu ».

« *Sententia* diei 23 Ianuarii: « Monialibus actricibus restitutionem controversae domus peragendam, iuxta modum in sententia expressum.

« *a)* Moniales actrices solvere debent M. A. pretium emptionis aedium quod constat fuisse francorum centum viginti quinque millium; cum legali fenore a die 19 Febr. 1921 computando. Refundere eidem debent expensas necessarias, detractis tamen illis quas post aedium occupationem tempore belli peractam publica auctoritas ipsa refudit, atque ex utilibus, usque ad diem 19 Febr. 1921 factis, eas quibus res pretiosior tempore restitutionis videatur, facta tamen monialibus facultate reddendi vel quanti impensi fuit, vel quanti aedes pretiosiores sint effectae. Tributa denique a M. A. soluta, moniales eidem restituere debent, sed tantum a die 19 Febr. 1921. Eaedem vero cogi nequeunt ad emendas aedes monasterio contiguas, quas M. A. in bonum sui Instituti acquisivit, cum huiusmodi acquisitio nequeat computari inter expensas necessarias vel utiles in sensu iuris. Quae vero solvenda sunt, in primis pretium emptionis aedium, ex notissima regula, solvi debent in numerata pecunia currentis valoris.

« *b)* M. A. quae usque ad diem 19 Februarii 1921, ob possessionem bonae fidei quasi aedium domina fecit omnes fructus suos, ita ut eo tempore neque pretii emptionis fenus percipere neque tributa repetere possit, nihil solvere debet, nisi mercedem pro aedium conductione a die 19 Februarii 1921 usque ad diem restitutionis rei. Merces autem computanda erit iuxta originariam mensuram, quae in tacite renovato contractu perseverare videtur.

« *c)* Restitutioni peragendae tempus utile adsignatur quadrimestre, a die notificationis sententiae, ne scholae turbentur cum damno tertii, id est pue larum. Restitutio autem fieri debet praevia solutione pecuniae ex parte monialium. Ne autem quaestiones forte oriturae de quantitate pecuniae in expensis collocatae, restitutionem retardare valeant, expresse cavetur, ut controversia exsistente restitutio intra quadrimestre nihilo secius fiat, soluto interim a Monialibus dumtaxat pretio emptionis.

« *d)* Caveat autem Ordinarius ut restitutio eo modo fiat quo, attentis civilibus legibus, Sororum iura sarta tectaque sint ».

Decisio ista digna nobis visa est peculiari attentione, quia lumen affundit circa modum quo, in alto tribunali ecclesiastico, applicatio legum civilium et ipse solutionis modus adhibenda aestimentur.

Species facti ex ipso sententiae tenore haec fuisse demonstratur.

Legum iniquitate recedere coactae a suo Monasterio, Moniales publicationem suarum aedium tolerare debuerunt.

Aedes istae emptae fuerunt a catholica domna, obtenta venia auctoritatis ecclesiasticae; atque in aedibus istis scholae pro puellis erectae sunt.

Cum autem a persecutione aliquanto respirare licuisset, Moniales suum ius postliminii exercere voluerunt. Quamvis autem earum domus utilissimum usum obtinuisset, ius tamen monialium nimis manifestum erat quam ut iuridice repelli possent.

Decidit igitur S. Rota Romana domum istam esse ipsis restituendam. *De modo* iam *restitutionis,* paucis agendum nobis est.

1. Ac primo, Moniales iussae sunt refundere domnae emptrici *pretium* quod pro aedibus acquirendis solvi debuit. Haec enim est communis condicio quam ipsa S. Sedes ex aequitate imponit personis spoliatis, si recuperare cupiunt bona quae legitima aliqua ratione in aliorum manus pervenerunt.

2. A die autem 19 febr. 1921, *legale fenus* istius pretii solvere debent, quia ab ipsa die domna coepit mere ut *conductrix* aedium iisdem uti frui.

Moniales compensationem istius feneris in ipso pretio locationis reperient. Hic igitur observatam cernimus praesumptionem de fructuosa collocatione omnis pecuniae. Sed dum theologi iam contenti sunt imponendo fenere infra legale, S. Rota legale solvi voluit.

3. Praeterea, secundum principia generalia, Moniales domnae refundere debent expensas *necessarias*, quas ipsa publica auctoritas non iam refuderit; *utiles* vero, quatenus, *tempore restitutionis,* ipsae aedes sint inde factae pretiosiores.

Verum, optio sinitur esse monialibus reddendi vel quanti impensi fuerit vel quanto aedes creverint valore. Optio ista Codice *Gallico,* art. 555 conceditur (1), non autem iure *Italico.* Art. enim 705, possessor, sive bonae sive etiam malae fidei fuerit, sibi vindicare potest id quod interest inter expensas et partam utilitatem (2).

4. A die 19 febr. 1921, moniales etiam *tributa* soluta a domna reddere debent, quia ab ista die monasterium iterum possidere coeperunt, et tributa ista sunt onus dominii.

5. Observandum est domnae emptrici, usque ad 19 febr. 1921, beneficium addici *possessionis bonae*

---

(1) Cf. PLANIOL, *Traité élémentaire de droit civil,* n. 2726; COLIN et CAPITANT, *Cours de droit civil français,* I, p. 861.

(2) Cf. PACIFICI-MANZONI, *Istituzioni di diritto civile italiano,* tom. 3. parte 1, n. 36.

fidei civilis. Etsi enim haec bona fides requirit persuasionem obtenti dominii, et domna ista ignorare non potuit praevalens suo ius monialium quae inique expulsae erant, vere tamen dominium habebat istarum aedium donec non exerceretur ius postliminii : hoc est enim ius *recuperandae* rei quae, proin, interea, in dominio alterius esse potuit. Nec lex civilis ius monialium agnoscebat. Merito igitur ex titulo *legis civilis omnes fructus* facere suos perceptione potuit. Nec S. Rota, quae istam sanctionem civilem confirmavit, quidpiam in ea iniustum reprehendit.

Immerito igitur BALLERINI, *Opus theol. morale,* III. n. 423, et LEHMKUHL, I, 1135, leges huiusmodi alienas aestimant a conceptu proprietatis et naturalis iuris dominii : sed prorsus confirmatur ista sententia quam iam inter *Quaestiones de iustitia* pro legibus istis propugnavimus, n. **284.** Ceterum ambo iura, Gallicum et Italicum, possessori bonae fidei omnes fructus perceptos addicunt.

6. In *solvendo pretio emptionis,* S. Rota simpliciter ratam habet regulam, satis esse et requiri ut solutio fiat in numerata pecunia currentis valoris.

Vult autem ut ipsa merces conductionis computetur secundum originariam mensuram : haec enim in tacite renovato contractu perseverare videtur.

N. B. Cum sola lex Galliae permittat istam optionem quam S. Rota concedit Sororibus, simul apparet causam esse Galliarum.

De pactione contraria perpetuitati matrimonii et causa Marconi - O' Brien.

Art. I. *De pactione contraria perpetuitati matrimonii.*

I. **Generalia.** — 1. Canon 1084, dum negat consensum matrimonii vitiari simplici errore de unitate vel indissolubilitate vel sacramentali dignitate matrimonii, etiamsi error causam dederit contractui, simul revelat nobis essentiales proprietates matrimonii quae, si positivo voluntatis actu excludantur, consensum substantialiter corrumpunt (1). Cf. c. 1086 § 2.

2. *Quaeres,* si etiam error qui causam contractui dederit valorem matrimonii non impediat, quid ultra requiratur ut consensus seu contractus substantialiter vitietur ?

Requiritur ut error ingrediatur *condicionem* seu *pactionem,* et sic ab intellectu voluntatem penetret. Etenim, ex c. 1092, 2^0 « Condicio semel apposita et non revocata... 2^0 si de futuro contra matrimonii substantiam, illud reddit invalidum ».

Solent istud hac forma exprimere, dicendo necesse esse ut voluntas contraria essentiali proprietati matrimonii effecta sit condicio *sine qua non,* seu sit in *pactum deducta.*

Observes solita ista formula minime postulari ut vera pactio secundum istum errorem facta sit. Satis enim est ut alteruter contrahens consensum suum matrimonialem isti condicioni subordinaverit. Quare, ut in ipsa expositione causae Rotalis Neo-Eboracensis, 8 febr. 1915 (CASTELLANE-GOULD), n. 4, legitur, con-

(1) Cave tamen ne ut contrarias substantiae matrimonii habeas solas intentiones vel pactiones quae adversantur *proprietati* matrimonii ; cum substantia enim matrimonii etiam componi nequit intentio seu pactio quae *fini primario* matrimonii adversatur, i. e. generationi vel conservationi prolis.

dicio potest *ab uno tantum contrahente* vel ab utroque coniuge in pactum deduci.

3. *Si* praeterea *quaeras* quid intersit inter errorem qui *causam det contractui* et errorem qui *condicionem ingrediatur,* ita respondendum censemus.

Erroris qui causam det et erroris qui condicionem ingrediatur istud *commune* est, ut alterutro modo errans vere dicere queat: « si novissem, noluissem ». Sed, si error mere causam dederit, consensus tamen vere datus fuit, utique propter errorem; et posterior *scientia* determinaret *revocationem* consensus ubi haec possibilis esset; dum error qui condicionem intraverit, ipsum *consensum impedit* in verum matrimonium, cum voluntas alligata fuerit condicioni quae substantiae matrimonii repugnat. Posterior scientia nullam consensus revocationem imperat, sed prodit consensum fuisse a principio nullum. Cf. Benedicti XIV, *De synodo,* L. XIII, c. 22, n. 7.

Num error qui mere causam dederit, semper ab errore - condicione *facile discernitur?*

Id non dixerim. Momentum tamen distinctionis iam ex hac sola consideratione perspicitur: omnibus qui miseram vitam coniugalem ducunt, error causam dedit consensui. Vero errore de futura felicitate decepti sunt. Nihilo minus indubium mansit eorum matrimonium, quia traditio coniugalis absoluto consensu facta est.

4. Verum, sive sumas matrimonium mere legitimum eorum qui non sunt baptizati, sive matrimonium-sacramentum, nullum matrimonium consistere potest si, praeter verum assensum internum, coniuges non praestent consensum « legitime manifestatum » (c. 1081): non minus quam ipse consensus, eius significatio est necessaria.

Quare, 21 aug. 1861 *(Collect. Prop. Fidei,* I, 1201) sapienter responsum est, « matrimonium firmum ac

validum consistere quoties nutus vel caerimoniae coram testibus praestitae, iuxta communem regionis existimationem, mutuum sponsorum de praesenti consensum sufficienter exprimunt ».

II. **Varia S. Congregationis responsa** de errore circa perpetuitatem vel indissolubilitatem matrimonii (1).

Ante quam lues neo-malthusiana tam late saevire coepisset, frequentissima quaestio fuit de valore matrimonii contracti cum errore de indissolubilitate coniugii. Quod sine negotio intellegitur. Etenim, tum extra religionem christianam divortia seu repudia in pluribus adiunctis admittuntur; atque etiam inter eos qui christianismum profitentur, tum Orientales schismatici tum Novatores saec. XVI verba Christi, apud S. Math. 5, 32: « Omnis qui dimiserit uxorem suam, excepta fornicationis causa, facit eam moechari: et qui dimissam duxerit adulterat »; et apud S. Math. 19, 9: « Quicumque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, et aliam duxerit, moechatur; et qui dimissam duxerit moechatur », interpretantur de divortio pleno, dum Ecclesia docet propter adulterium alterius coniugum matrimonii vinculum non posse dissolvi (Cf. *Trid.* De sac. matr. can. 7).

Iam vero de valore matrimonii contracti cum errore de indissolubilitate BENEDICTUS XIV, *De Synodo* XIII, c. 22 refert stylum *S. C. S. Officii,* quae rursus in eius responsis, sua dicta praestantissimi Canonistae Pontificis auctoritate confirmat.

Summa autem responsionum huc redit:

Principium iam 2 dec. 1680 (Coll. I, 221) a S. Officio sic effertur:

Quaesitum erat utrum necne valeret matrimonium contractum inter catholicum et schismaticum haereticum, cum

(1) Responsa desumuntur ex altera editione operis *Collectanèa S. C. de Prop. Fide,* quam etiam verbo *Collectanea* designamus.

intentione foedandi vel solvendi matrimonium? Responsum fuit: Si ista sint deducta in pactum seu cum ista condicione sint contracta, matrimonia sunt *nulla;* sin aliter, sunt *valida* ».

Quod confirmavit 11 mart. 1868 (II, n. 1327, 2): « Matrimonia inita cum solo contrahentium errore quod matrimonii consummati vinculum in casu adulterii vel ob alias causas dissolvi possit, valida sunt. Si vero sub hac expressa condicione inita sint, uti invalida habenda sunt ».

De applicationibus.

1. *Pactio potest esse explicita vel implicita.* Namque, 24 ian. 1877 (II, n. 1465) haec habet *S. Officium:*

Investigandum erit utrum condicio contraria perpetuitati et indissolubilitati vinculi coniugalis aliqua ratione, directe vel indirecte, explicite vel implicite in pactum fuerit a contrahentibus deducta, seu utrum matrimonium fuerit contractum cum prava voluntate non consentiendi in vinculum perpetuum. » (p. 103 *Coll.*).

Et antea, 6 april. 1843 (I, n. 965 *Coll.*) « Non paucae formulae a protestantibus adhibitae illa condicione irritante contaminatae sunt, in quibus expressis verbis inhaeret haec condicio « contraho tecum donec in fidelitate permanseris » ; « immo etiam voluntas aliquando satis aperte factis exprimitur, vel verbis simul et factis, dum verba vel facta interpretantur ipse usus et consuetudo illorum locorum, ita ut abfuisse intelligatur consensus in contractum perpetuum et indissolubilem ».

Formula iuramenti et promissiones mutuae interdum aequivalent pactioni: id declaravit *S. Officium* in eadem instructione, 6 april. 1843.

Et antea, Cong. gen. *S. Officii,* 20 maii 1754, pronuntiaverat:

« Invalidum esse matrimonium coram ministro calvinista initum, eo quod soleat uti formula perpetuitati contraria ». (Citatum in resp. 22 iul. 1840, I, n. 903).

2. *Formula vitiatur lectione evangelii* quo protestantes abutuntur ad confirmandum suum errorem:

Vitiata esset formula si minister vel Matth. 19, 9 vel 5, 32, vel Hebr. 13, 4 recitaret, maxime si tunc sequatur instructio in qua officium praedicatur de unione servanda donec altera pars in adulterium labatur; « ac denique solum iuramentum, ut supra

emissum in ipso ritu contractus sufficit ad matrimonium invalidandum ». (Instr. *S. Off.* 6 apr. 1843, n. 965, p. 533).

3. « Ubi adhibetur *formula cum explicita vel implicita illa condicione*, iam fieri nequit ut particularis error absorptus maneat a generali voluntate contrahendi iuxta institutionem Christi ». Sic *C. S. Officii,* 6 ap. 1843, post BENEDICTUM XIV, *De syn.,* XIII, 22. n. 7.

Expressa declaratio tamen potest vitium istud corrigere. Si enim duo catholici celebrarunt nuptias coram ministro calvinista ea formula utente, valebit matrimonium si in sensu Ecclesiae contrahunt « *interveniente declaratione contrahentium* ». Item si in matrimonio mixto, pars catholica expresse declaret se contrahere in sensu Ecclesiae, et pars haeretica ei assentiatur. Ita *S. Officium,* 22 iul. 1840 (I, n. 903).

4. *S. Sedes refragatur solutionibus quae mere praesumptionibus nitantur.*

Sic, 24 ian. 1877 (II, n. 1465), *S. Officium* negavit ex praesumptionibus quantumque gravissimis generalia criteria efformari posse, sed « iuxta mentem et praxim H. S. Sedis Apostolicae, oportere serio et prudenter examinare singulos casus occurrentes, et non nisi iuxta legitimas deductiones ex tali examine resultantes iudicari debere. »

5. *Asserta non baptizatorum facilius admittuntur.*

Sic, 19 maii 1892 (II, n. 1797, 3). Post diligens examen de eorum credibilitate, et absente serio dubio de assertionis veritate, fides adhiberi potest *infidelibus* qui iurent se numquam indissolubili vinculo cum praecedentibus uxoribus nupsisse ; non autem si agatur de *fidelibus,* sed requiritur legitima probatio.

S. Officium iterum hoc declaravit 18 maii 1898 (II, n. 1999). In nota additur responsum quo *S. Officium* dicit id applicari non posse iis qui post baptismum contraxerunt etiam coram ministro anglicano.

Ratio maioris facilitatis haec esse potest quod matrimonia mere legitima magis subsunt potestati S. Pontificis (post conversionem infidelis).

6. *Denique negandum non est responsa, pro variis adiunctis, in severitatem vel benignitatem propendere.*

In benignitatem propendet responsum 20 maii 1754, supra n. 1 allegatum; instructio S. Officii 6 april. 1843, supra n. 1 et 2; responsum 29 nov. 1882 (II, n. 1581, p. 167): « Cum incolentibus regiones Ortons, aliasque adiacentes mos sit, ab initis matrimoniis ob leves rationes et quasi pro habitu (pro lubitu?) resilire, merito a missionariis dubitatur, utrum ea inter mera contubernia seu concubinatus adnumeranda sint ». Id ut dignoscatur, quaerenda est condicio matrimonii substantiae et praesertim perpetuitati seu indissolubilitati contraria. Consulatur BENEDICTUS XIV, *De synodo,* XIII, 22.

Severitati autem favent responsum S. C. de Prop. Fide, 23 aug. 1853 (I, n. 1079) secundum quod valida haberi debent matrimonia infidelium contracta absque ulla praecisa notione de indissolubilitate, ita ut saltem implicite credant se posse ab invicem separari; - praeterea instr. *S. Officii* 24 ian. 1877 (II, n. 1465, p. 102) supra relata, qua negatur praesumptio sufficere posse. Severe eadem *S. C.* 19 maii, 1892, (II, n. 1797, 3) resolvit generatim habenda esse ut legitima, matrimonia de quibus scribebatur: « il est universellement admis qu'elle (l'union) peut-être rompue; le fait de la rupture, quand il se produit, est toujours accepté et ratifié » (in universum admittitur coniunctionem rumpi posse; cum rumpitur, id semper admittitur et ratum habetur).

Quaeres cur invalida sint matrimonia, si formula exterior non externe corrigatur?

Quia, sic respondemus, tunc nulla est *expressio* veri consensus. Et tunc iam non est attendendum ad condicionem vel errorem.

IV. Vitium substantiale committiturne facilius *ab acatholico* quam a *catholico?*

Profecto. Unusquisque enim censetur inire matrimonium secundum doctrinam suae religionis. Et cum acatholici profiteantur matrimonium dissolubile propter adulterium, iam invalide contrahumt eo quod exteriore signo matrimonium ut dissolubile exhibetur: matrimonium dissolubile contrahere volunt.

V. Rectene, in causa Marconi quam statim exa-

minabimus, allegatur istud: *in indissolubilitate,* seu in bono sacramenti, *obligationem seu ius ab eius usu distingui non posse?*

Resp. Ubi lex non agnoscat nisi unum matrimonium et unum divortium, id recte asseritur. Tunc enim, si facultas divortii pleni pro quibusdam casibus reservatur, non contrahitur matrimonium validum, deficiente eius perpetuitate. Ubi autem saevit institutio matrimonii *civilis,* obligatio ab eius usu bene separari potest, cum coniuges potuerint mere de matrimonio civili, quod intactum sinit esse sacramentum, pactionem facere.

Etiam in causa Castellane-Gould, n. 5 dicitur: « Bonum autem sacramenti seu indissolubilitas vinculi, in seipso spectatum, ad esse matrimonii pertinet, nec distinctionem admittit inter obligationem assumptam et eiusdem implementum; intentio igitur contrahentis, huic indissolubilitati contraria... nativo suo pondere pactum matrimoniale ingreditur ».

Sed mox, n. 6, dicta sic temperant: « Verum haec dicta sunt de veritate speculativa circa consensum eiusque valorem obiectivum; si autem quaestio fiat de casu concreto, praesertim quo contrahens erroneam opinionem fovet de dissolubilitate coniugii, sive ex gentilium corruptelis, sive ex doctrina haeretica, sive ex patriae legibus vel moribus haustam, utrum reapse in matrimoniali consensu praestando vinculum solubile simpliciter et absolute intenderit, res ardua est dubium dirimere, et regula quaedam iudicandi requiritur. Nam duae erunt voluntates contrariae: generalis nempe contrahendi matrimonium prout ab Auctore naturae vel a Christo institutum est, perpetuum scilicet et indissolubile; et alia particularis, qua intenditur vinculum ob adulterium vel alias causas solubile: dicendum est contrahentem id simpliciter et absolute velle, prout una voluntas alteri praevalet et dominatur: praevalet in casu voluntas particularis, iuxta BENEDICTUM XIV, si expresse apposita fuerit condicio de matrimonio ob adulterium solvendo; sin aliter praevalet voluntas generalis qua intenditur indissolubile vinculum, in qua absorptus manet privatus contrahentis error ».

VI. Denique tandem, ex dictis colliges, *condicionem* contrariam substantiae vel indissolubilitati matri-

monii *in pactum deduci,* vel, si malis, matrimonium substantialiter vitiare, a) *si expresse ponitur ut condicio sine qua non;* b) *si continetur positiva voluntate quae non debetur errori;* c) *si formaliter vel virtualiter exprimitur in ipso consensu exteriore quo matrimonium initur.*

Art. II. *De ipsa causa Marconi-O' Brien.*

De causa ista tantus rumor obortus est et tantopere in varias partes disputatum, ut quae prius secreto archivo destinabatur iam plene in *Acta Apostolicae Sedis* referatur.

Ipsae controversiae rationem nobis suppeditant praesentis examinis. Accedit non modica utilitas missionariorum qui, motiva huius decisionis perpendentes, lumen inde mutuari possunt ut non paucos casus de valore matrimoniorum qui ipsis proponuntur, prudentius simul et firmiore animo solvant.

Species facti, ut constat legenti acta (Cf. in altera parte n. **33**), sic in pauca contrahi posse videtur.

Dominus MARCONI, gente Italus, baptizatus in Ecclesia catholica sed a prima aetate in secta anglicana matris institutus, anno 1903 amore captus est puellae, nomine Beatricis, natione Anglae, religione Anglicanae. Haec iuvenem non satis diligebat ut proposito coniugio statim annueret. Neque ipsi Beatricis matri nuptiae valde acceptae erant, propter minorem filiae affectum, praesertim cum ageretur de extraneo qui catholicum baptismum receperat. Post annum tamen facta sunt sponsalia de futuro; quibus effectis, cum ambo sponsi felicitati nuptiarum timerent, vir declaravit viam patere divortii, si nuptiae infelices evaderent. Quod ipsa etiam admisit. Pariter, ne sponsalia abrumperentur, ipse matri Beatricis declaravit, nihil ex sua parte obfuturum, quin divortii lege uteretur, si vita communis nimis molesta fieret. Quare, ut verbis utamur

ipsius sponsae: « ego et, ni fallor, etiam Dominus Marconi, nuptias fecimus secundum normas confessionis anglicanae, quae divortium admittit, quamvis, eo momento de divortio faciendo non cogitaretur... Ambo persuasum habebamus divortium esse possibile, sed vir debuit matrem meam securam facere, quod si umquam divortium peterem, mihi non contradiceret. Id solum convenit inter dominum Marconi et meam familiam ».

Quibusnam verbis facta sit pactio, ipsa confessa est non meminisse: « Sed conventio ista non fuit vaga qualis, pro moribus Anglorum, in omni matrimonio inclusa dici possit; sed fuit determinata specialibus casus adiunctis, quia vir catholice baptizatus divortio repugnare posset. Ideo nullam similem declarationem a sponsis mearum sororum postulavit mater mea ».

Testes autem fuisse verbale pactum confirmant.

Itaque, 16 mart. 1905, matrimonium factum est coram ministello anglicano, perlecta ab utroque coniuge formula qua sibi mutuam fidem promittebant usque ad mortem. Sed, quamvis intentionem haberent *usque ad mortem* cohabitandi, ambo declararunt minime tamen ideo a condicionali divortii voluntate esse recessum.

Anno 1918, vita communis visa est importabilis. Et cum Beatrix adhaesisset alii viro, Marconi, die 24 febr. 1924, divortii sententiam obtinuit a tribunali Fluminensi. Dein, supplici libello adivit ad curiam Westmonasteriensem, quae, 27 oct. 1926, declaravit constare de nullitate matrimonii; quam sententiam S. Rota Romana 11 april. 1927, confirmavit.

De merito causae iam nobis agendum est. Atque id ultro fatemur, nullitas matrimonii prima specie minime manifesta videtur.

Sane neque in sponso neque in sponsa voluntas praevalens matrimonii desiderabatur. Sponsalia, sine ulla pactione de divortio facta sunt.

Summum fortasse sponsalia rupta fuissent, fortasse mater sponsae matrimonio obstitisset, nisi vir effugium divortii memorasset.

Condicionem fuisse interna voluntate condicionem *sine qua non,* id nullo argumento demonstratur.

Nec formula Ritualis quidpiam perpetuitati matrimonii contrarium reddebat, cum, e contrario, promissionem contineret perpetuae coniunctionis. Nullus igitur usus de istis formulis, pro nullitate matrimonii fieri potest.

Ubi tunc vitium substantiale detegitur? Neque in formula rituali, neque in ulla interpretativa voluntate, sed solum in *exteriore* declaratione de condicionali intentione utendi facultate divortii permissa religione anglicana; quam condicionalem voluntatem comitabatur error de indissolubilitate matrimonii: *defuit externus consensus in matrimonium indissolubile; quem exteriorem defectum nulla interna dispositio tollere poterat.* Cf. supra n. 3, p. 98* memoratam allegationem ex BENEDICTO XIV et *S. Officio.*

Nova exteriore declaratione corrigenda erat; sed de ista retractatione nullum indicium habebatur. Et cum coniuges se existimarent vero matrimonio coniunctos, nulla causa erat cur illam facerent.

Quaestiones supplementariae nec momento neque utilitate carentes.

1. In regionibus ubi saevit lex civilis facultatem tribuens divortii perfecti, *fueritne nullum matrimonium coniugum, religione catholicorum, qui convenerint de adhibendo remedio divortii* si casus lege civili praevisus acciderit?

Minime gentium. Cum enim ipsi probe norint matrimonium esse indissolubile, civilem tantum sibi quaerere praesumentur libertatem, dum divortium petunt.

2. Quomodo putantur consistere tot *matrimonia haereticorum et schismaticorum,* qui consentiunt in ma-

trimonium quale edocti sunt, i. e. dissolubile v. g. in casu adulterii ?

Matrimonia ista consistunt, quia voluntate praevalenti intendunt facere matrimonium verum, quod deinde ex errore putant dissolvi posse propter adulterium ; neque externus consensus isto errore vitiatus est.

Facile tamen fieri potest ut ante matrimonium fiant tractatus quales in causa Marconi facti sunt. Tunc autem eadem solutio danda foret. Unde suspicari possumus plura matrimonia protestantium vel schismaticorum esse nulla, quae tamen perhibentur valida.

3. Ferunt, post divulgatam sententiam S. Rotae Romanae, esse parentes qui, in addita quadam clausula vel condicione seu pactione, securitatem pro filiis capere velint ne matrimonio indissolubili et infelici ligentur. *Nonne ingens periculum abusionum sic per istam sententiam creatum est ?*

Respondemus nullum periculum per se esse creatum. Si enim pactio fiat contra substantiam matrimonii, coniugium est ab initio nullum. Et donec non correxerint vitium, ambo coniuges non fuerint nisi concubinarii in habituali statu peccati versantes.

4. Quaesitum etiam est utrum necne *Ecclesia* possit *lege positiva* casus huiusmodi impedire, sicut decreto *Tametsi,* in Conc. Tridentino, matrimonia clandestina efficaciter e medio tulit ?

Respondemus prorsus diversum esse casum decreti *Tametsi* et decreti quo confirmaretur matrimonium cui consensus substantialiter vitiatus datus esset. Potestas competens potest, sanctione sua, efficere ut consensus naturaliter validus non sit sufficiens nisi definita forma sit expressus; sed, ut pronuntiat etiam c. 1081 § 1, consensus partium nulla humana potestate suppleri potest.

Verum lex positiva statuere possit praesumptionem *iuris et de iure* qua condiciones contrariae sub-

stantiae matrimonii censerentur purgatae post cohabitationem sex mensium vel anni vel aliquot annorum. Vis istius praesumptionis fuerit ut, elapso isto termino, iam lis de nullitate moveri non possit. Ita, ante reformationem LEONIS XIII, copula carnalis inter sponsos de futuro inducebat praesumptionem iuris et de iure affectus coniugalis quo, de se, perficeretur coniugium.

Potest etiam, vi c. 1971 § 1, 1°, facultas agendi negari coniugi qui fuerit impedimenti causa; i. e. qui condicionem substantiae matrimonii contrariam apposuerit.

Nostrum autem non est de opportunitate huiusmodi legis hoc loco disserere.

5. *Quaeres, utrum matrimonium Londini contractum inter* G. MARCONI et B. O' BRIEN, considerandum sit ut matrimonium *mixtum* an ut matrimonium *duorum acatholicorum?*

Hodie, cum c. 1099 obnoxios faciat formae sollemni catholicis praescriptae omnes in Ecclesia catholica baptizatos, etiamsi postea defecerint a fide catholica, nuptiae iure nuptiarum mixtarum regerentur. Vir enim catholice baptizatus erat, quamvis ab infantia in secta anglicana institutus fuerit.

Verum antea, 6 april. 1859 *(Collect. de Prop. Fide,* I, n. 1174) *S. Officium* declaraverat eosdem comprehendi posse ut haereticos in declaratione Benedictina quae in Hollandia haereticos a forma canonica exemerat.

Postea quidem, interrogata, sub decreto *Ne Temere*, 2 aug. 1907, de iis qui ab infantili aetate in haeresi seu infidelitate vel sine ulla religione adoleverint, eadem Suprema Congregatio respondit *Recurrendum esse in singulis casibus.* (Cf. Nostrum *De Forma sponsalium ac matrimonii,* ed. 5 n. **130).**

Licet igitur matrimonium MARCONI-O' BRIEN considerare ut celebratum inter duos acatholicos.

Operae pretium esse videtur, praesentem causam *conferre cum causa Neo-Eboracensi* BONI DE CASTELLANE-GOULD, in qua vir, qui cum dispensatione super impedimento mixtae religionis nuptias fecerat 14 mart. 1895, litem movit de nullitate matrimonii sui propter intentionem contrariam indissolubilitati matrimonii non semel manifestatam ab uxore sua acatholica. Causa iam in prima instantia, ex S. Pontificis commissione proposita est S. Rotae Romanae. Prima sententia 9 dec. 1911 fuit *pro vinculi firmitate;* altera 1 mart. 1913 *pro nullitate ;* tertia demum, 8 febr. 1915, reformando alteram decisionem, declaravit *non constare de matrimonii nullitate in casu.*

Perlustranti acta, multo plura, quam in causa MARCONI, prima specie occurrunt quae expressam divortii voluntatem produnt, cum pars acatholica noluerit converti ne facultatem divortii amitteret. Nihilo minus ad intentum visa sunt non sufficere, quia nulla voluntas divortii demonstrata est nisi dependens ab errore de facultate dissolutionis permissae acatholicis; et ipsa ANNA GOULD (acatholica) declaravit se nuptias fecisse sicut contrahi solitae sunt; nec aliud quidpiam tunc cogitasse « Je me mariais comme on se marie ordinairement. Je n' ai pensé à rien autre », (Cf. *Decisiones Rotae,* Vol. VII, Dec. 3, n. 48).

Fuerunt quidem testimonia quae probabant condicionem *sine qua non* adiectam esse; sed de testimoniis istis iudices existimarunt modicam rationem habendam esse.

De conscribendis Constitutionibus Congregationis votorum simplicium vel de iisdem ad Codicem aptandis (continuatur. Cf. supra Periodica, 41*)

III. Observationes speciales.

1. — *Quo meliore ordine res proponantur.*

Cum agitur mere *de accommodatione Constitutionum ad Codicem,* satius est non perturbare ordinem cui Institutum assuefactum est, etiam si minus felix sit. Nimis multis mutationibus pax interior Instituti periculo opponitur; minuitur affectus ad proprias leges, et ipsa labefactatur constantia animi et firmitas in propria vocatione tenenda. Hic multo plus quam alibi, usu venit norma prudentiae: « quieta non movere ».

Quod tamem continuata serie numerorum a principio ad finem allegationes Constitutionum faciliores fiant, id videtur sine incommodo induci posse. Quare suadendum est ut ubique haec modica reformatio fiat.

De Constitutionibus primum conscribendis omnino opportune quaeritur quaenam ordinis ratio sit ut potior eligenda.

Quamvis ipse Codex politicas seu publicas partes Instituti anteponat privatis, et sic de erectione religionis, provinciae, domus, de gubernatione exteriore, de informatione spirituali, et de administratione temporali tractet prius quam ipsarum personarum seu religiosorum condicionem, iura et officia describat, pleraeque tamen Constitutiones ordine paene inverso procedunt, ita ut *prior* Pars ipsis singulis personis destinetur, *altera* autem agat de Superioribus et de regimine. Tunc, in priore Parte, sermo fit de usu sacramenti paenitentiae et eucharistiae, quia, ut diximus supra, p. 46, Constitutiones scribuntur pro ipsis religiosis,

ita ut officia Ordinariorum et Confessariorum urgere vel declarare non debeant.

Prior tamen Pars introducitur paucis articulis quibus explicatur quinam sint Instituti fines, nomen, patroni, membra, atque etiam praecedentia. Ista rerum distributio repetenda videtur ex Normis quae anno 1901 a *S. C. Episcoporum et Regularium* confectae sunt ut, secundum eas, novae Constitutiones redigerentur.

Habentur tunc *duae principaliores Partes.*

In priore, ordine dicitur:

De postulatu ;

De noviciatu, reservata quaestione de nominatione magistri noviciorum;

De professione religiosa, cuius condiciones, iura et obligationes exponuntur. Hic, post expositionem trium votorum, alia quae ad vitam Instituti spectant describuntur. Unde sermo fit de variis observantiis, de studiis, et peculiaribus obligationibus religiosorum.

Cura infirmorum et suffragia post mortem hic etiam locum opportunum obtinent.

Succedit tractatio de transitu ad aliam religionem, de egressu voluntario et involuntario.

In altera Parte agitur

De Capitulis ;

De Superiore generali eiusque consilio ;

De secretario et oeconomo generali;

De Superiore provinciali eiusque Consilio;

De Magistro noviciorum ;

De quibusdam officialibus maioribus ;

Ordo praecedentiae (nisi ab initio fuerit indicatus).

Reservari consuevit fini constitutionum articulus de obligatione Constitutionum.

Altera tamen *dispositio* non excluditur qua *tres Partes* distinguuntur: prima de *Instituto;* altera de eius *membris;* tertia de eius *gubernatione.*

Prima dat nomen, patronos, finem Instituti. Dein

agit de mediis quibus ad finem generalem et specialem Instituti contenditur; igitur de votis, de usu sacramentorum, de exercitiis pietatis, de colendis virtutibus, de spiritu proprio Instituti, de operibus quibus addicitur.

Altera pars disserit de variis personis quae ad Institutum pertinent: quo modo recipiantur ut postulantes, novicii, professi; quo pacto ex Instituto egrediantur.

Tertia pars gubernationem Instituti explicat, i. e. regimen disciplinare et temporale.

Ordo iste nobis videtur praeferendus alteri, cuius evitat incommodum quo, post adumbratam Instituti rationem, divertit ad varias notiones de personis singulis, ut subinde redeat ad magis explicandam naturam Instituti per vota et obligationes religiosorum. Praeterea optime agit prius de anima, dein de corpore Instituti, seu, partem moralem praemittit duabus aliis partibus, quae canonicae dici possint. Quocirca, secundum istam rationem ordinis ponemus quae nobis observanda occurrant.

Prima pars. De ipso Instituto.

2. *De Fine et natura Instituti.*

I. Antiquae Normae nomine finis *primarii* designabant finem generalem seu communem omnis Instituti religiosi, i. e. sanctificationem membrorum, dum *secundarium* dicebant eius finem magis proprium.

Appellationes istae semper nobis visae sunt parum felices. Primaria enim ratio cur Congregatio condatur potest esse ipsa specialis eius destinatio. Ita Religiones militares, religiones de redemptione captivorum et ipsa Societas Iesu, ex necessitate cui occurrere volebant, ex operibus quibus dicantur potissimam suam essendi rationem trahunt.

Quare, multo felicius, nunc, Em. Patres S. Congregationis voluerunt ut deinceps, omissa mentione finis principalis et secundarii, diceretur mere finis *generalis* et finis *specialis.*

II. Oportet ut non nimis multa et dissimilia, praesertim extra loca missionum fine speciali contineantur. Quocirca Commissio satis repugnabat coniungendo hospitali cum scholis, seu curam infirmorum cum institutione inventutis. Duplex tamen consideratio effecit ut huiusmodi coniunctio toleraretur: popularitas et utilitas temporalis. Legalis exsistentia Instituti non semel ipsa cura hospitalium praeservata est; et cura huiusmodi praebet in quibusdam adiunctis alimenta Sororibus.

III. Ut Congregatio sit simul *Tertiariorum*, oportet, ut, secundum c. 492 § 1, a supremo Moderatore primi Ordinis suae religioni agregetur: de qua re etiam est consulenda S. Sedes. Ceterum aggregatio ista spiritualem participationem confert indulgentiarum, calendarii et privilegiorum, sed Congregationem primo Ordini minime subordinat.

IV. — In *patronis* seligendis, cavendum est ne persona divina cum aliquo sancto conumeretur. Immo Institutum quidem dicari potest colendo SS. Cordi Iesu vel SS. Passioni Domini, sed patronos proprie habere non potest nisi Beatam Mariam Virginem vel Sanctos qui intercessores et advocati esse possunt.

3. *De personarum classibus quae ad Institutum pertinent.*

Hodiernus stilus S. Congregationis habet, ut membra Instituti, post peractas probationes, in duas tantum classes dividantur. Quare, apud Moniales strictae clausurae, praeter eas quae, intra clausuram sunt choro addictae vel servitia domestica praestant ut conversae, tertia classis Sororum quae extra clausuram cum votis publicis degant per se non admittitur. Suppleri potest cum piis feminis, quae etiam piam Unionem cum votis privatis et habitu distincto conflare possunt. In antiquis Normis, in art. 51, postquam Congregationes votorum simplicium prohibentur sibi aggregare quendam coetum habentem speciem *tertii*

ordinis, additur: « Nihil tamen obstat, quo minus pro exterioribus domus negotiis Congregationes virorum pios homines et Congregationes Sororum pias feminas sibi addicant, quibus certam vivendi formam praescribant, et meritorum proprii Instituti participationem concedant ».

4. *De votis religiosis.*

I. Per se ultra tria consueta vota substantialia *quartum* hodie admitti non consuevit. Si peculiares rationes suadeant additionem quarti voti, curandum est ut eius obiectum sit clare definitum neque alicui confusioni locum det.

II. *De voto paupertatis.* Quia non omnia quae praecipiuntur facienda vel omittenda circa bona temporalia cadunt sub votum, et ipsae Constitutiones possint variis finibus votum circumscribere, clare in ipsis distinguantur quae voto paupertatis praescribuntur et quae alia de bonis temporalibus, lege quidem sed non urgente obligationem voti praecepta sunt: puta confectionem testamenti noviciis faciendam in Congregationibus religiosis.

III. *Voto paupertatis* annectentur praescripta de servanda *vita communi* in Instituto et de excludendo peculio.

IV. *De voto castitatis.* Per se quidem matrimonium componi potest cum voto mutuo sponsorum de servanda perfecta castitate. Praeterea *votum* et *virtus* castitatis non perfecte coincidunt: usu matrimonii validi votum violabitur sine peccato contra virtutem; voluntaria transmissione litterarum seductoris peccabitur contra virtutem castitatis, non autem contra votum, quod proprium usum facultatis venereae respicit. Votum tamen religiosorum in praesenti disciplina Ecclesiae voventem inhabilem reddit ad licite vel valide contrahendum matrimonium, ita ut complectatur caelibatum. Atque in Constitutionibus distinctio ista inter actus libidinosos et non libidinosos memoranda non est. Quare haec

solita formula adhibetur; voto castititatis prohibetur matrimonium et novo titulo omnis actus contrarius castitati. Ac vult Commissio ut expresse dicatur: « omnis actus etiam internus ».

V. Castitati annectitur obligatio clausurae, quae ad normam can. 604 describenda est.

VI. Sub praesidio simplicis modestiae ipsa virtus castitatis opportune ponitur. Sed praeter generalem commendationem modestiae, non placet ut in Constitutionibus descendatur ad particularia, quae potius Consuetudinario reservanda videntur.

VII. *De voto oboedientiae*. Clare definiatur *materia remota* voti oboedientiae: quidquid ad observantiam votorum et Constitutionum directe vel indirecte pertinet. Dein addatur obligationem voti non urgeri a Superioribus nisi per praecepta in virtute s. oboedientiae vel aequipollentia. Omnis Superior religiosus talia praecepta dare valide potest. Apud Sorores tamen moneantur Superiorissae locales ut huiusmodi praeceptis dandis abstineant, ceterae vero ut raro potestate ista utantur et non aliter quam scripto vel coram duobus testibus.

VIII. *De usu Sacramentorum*. 1. *De sacramento paenitentiae*. In Constitutionibus Sororum exscribendi sunt canones 520-523; atque observers non tolerari ut in imis paginis addantur notae declaratoriae.

Hoc loco potest inseri can. 530 § 1, quo Superiores districte vetantur personas sibi subditas quoquo modo inducere ad conscientiae manifestationem sibi peragendam. Paragraphus autem altera istius canonis, saltem a verbis « imo expedit ut ipsi filiali cum fiducia », etc. non admittitur in Constitutionibus religionum laicarum.

2. *De ss. Eucharistia*. In Institutis laicis, verbis saltem aequipollentibus tradantur quae c. 595 § 2. 3. 4., praescribuntur, de cotidiano accessu ad s. mensam, qui libere omnibus patere debet; de facultate

tamen Superioris prohibendi ne accedat, donec non usus fuerit sacramento paenitentiae, religiosus qui gravi scandalo fuerit vel gravem et externam culpam commiserit; de vi mere directiva quae inest in catalogo communionum religiosis praescriptarum.

Facultas etiam memoretur religiosi vel religiosae infirmae recipiendi s. comunionem pro sua devotione etiam cotidie; nec apponenda est condicio licentiae Confessarii.

IX. *De exercitiis pietatis.* Quaenam exercitia singulatim vel collective sint peragenda, Constitutiones praescribere debent. Inter ea, cotidiana assistentia Missae per se memoranda est; et quamvis accidentales exceptiones admittantur, textus non ita scribatur ut videatur normale esse ut pars tantum communitatis sacro intersit.

Quod ad *lectionem spiritualem,* sive ad mensam, sive extra mensam, expresse dicendum est in Institutis laicis, non alios libros a Superioribus proponi posse nisi qui auctoritate ecclesiastica sint probati.

X. *De mortificatione.* Integrum esse debet ut religiosi vel religiosae prudenter cum consilio confessariorum assumere possint mortificationes corporales privatim exercendas; pro solis publicis est licentia Superioris praeterea exquirenda.

XI. *De variis virtutibus* possunt hic moderate poni consilia. Sub rubrica caritatis fraternae prohibebuntur amicitiae particulares et demonstrationes exteriores quae suspectae esse possint.

Leges silentii, cum distinctione silentii rigorosi et minus rigorosi utilissimae sunt. Haec etiam erit bona occcasio quaedam commendandi quae ad spiritum seu ad peculiarem finem Instituti conducunt; declarandi quaenam opera maxime Instituto conveniant.

XII. *De studiis* id observandum est, hactenus, secundum stilum S. Congregationis, non admitti ut

ad Congregationes religiosarum applicetur canon qui sinit ut Superior propter studia permittat absentiam ultra sex menses.

XIII. *Ordo diurnus* non est minutatim explicandus in Constitutionibus. Dicatur omnes promptos esse debere ad surgendum hora statuta; sed ne ipsa hora Constitutionibus definiatur.

XIV. *De infirmis et defunctis.* Assidua cura infirmorum optime commendabitur, et bene memorabitur infirmitatem non posse esse causam dimissionis religiosi, post professionem, etiam temporalem, nisi dolose fuerit reticita in ipsa admissione.

Oportet ut Constitutiones statuant *suffragia* pro defunctis religiosis. Explicite dicendum est suffragia ista etiam deberi noviciis sicut professis. Peculiaria suffragia offerri possunt pro Superioribus et etiam qui Superiores, saltem principales fuerunt. Consueverunt quoque definiri suffragia pro Summo Pontifice et pro Ordinario loci.

XV. *De commercio litterarum.* Litterae missae et receptae a religiosis sunt obnoxiae inspectioni Superiorum. Vult tamen S. Sedes ut cum discretione ius istud a Superioribus exerceatur. Quare corrigitur textus si dicatur: « a Superioribus litteras subditorum vel a subditis acceptas legi *debere* ». Sola facultas memoranda est, et consilium usus discreti subiungi potest.

Inter personas quarum litterae immunes sunt ab ista inspectione, nominandus est etiam Superior vel Superiorissa localis absens a domo. Quaedam aliae personae addi possunt: v. g. consiliarii generales. Non admittitur ut exceptio fiat in gratiam confessarii, sive ordinarii sive extraordinarii. Immo, cum Constitutiones cuiuspiam Instituti Sororum statuissent liberum epistolarum commercium inter religiosas et Magistram noviciarum, clausula ista ab Em. Patribus reiecta est.

(Continuabitur) A. VERMEERSCH, S. I.

Cur, hoc anno 1927, Pascha celebravimus die 17 aprilis

Ratio dubitandi haec esse potuit, quod ex litteris publicis quibus cognoscimus statuta Concilii Nicaeni I de celebritate istius sollemnitatis sollemnitatum (1), Pascha christianorum numquam in eandem diem ac Pascha Iudaeorum incidere permittatur; ac proin numquam celebrandum sit die 14 lunae quae aequinoctium vernale comitatur vel subsequitur, sed Dominica quae sit immediate ea die posterior. Iudaei enim suum Pascha agunt ipsa die 14 istius lunae (quae est 14 *nisan*, seu primi mensis lunaris), vespere, secundum nostram supputationem, seu initio diei 15, secundum computationem Iudaeorum, quibus dies incipit vespere. Iam vero, hoc anno 1927, secundum astronomicam computationem, plena luna in Belgio, Gallia, Germania, Italia (2) et Hierosolymis, habebatur 17 aprilis, in America autem die 16 eiusdem mensis. Quia autem Romana dies attendenda est, dixeris Paschale festum debuisse a nobis non Dominica 17, sed proxime sequenti seu 23 aprilis celebrari debuisse.

Ac re vera, nobis perlatum est hoc anno Hierosolymis Pascha fuisse inusitato splendore celebratum, cum Iudaei et Catholici de die festi, hoc anno, concordarent.

---

(1). Cf. eruditam lucubrationem quam R. P. I. M. HANSSENS inseruit in *Ephemerides Liturgicae*, 1922 et iscripsit « *La date Pascale et sa réforme* p. 462 nota, ubi litteras istas recenset. Ipsum decretum Nicaenum non habemus. Namque, quod Card. PETRA in *Spicilegio Solesmensi*, anno 1858, IV, p. 540 sq. publici iuris fecit ut canonem Nicaenum, postea demonstratum est opus privatum cuiuspiam collectoris. Cf. HEFELE-LECLERQ, *Histoire des Conciles*, I, p. 467 ss.

(2) Id est, ut accuratius loquamur, Romae plena luna observabatur h. 4, 35 mane; Hierosolymis 4, 6; Berolini, 4, 31/2; Londini, 21/2; dum in Americae regionibus observabatur ante mediam noctem.

Verum, praeter Normas Nicaenas quas GREGORIUS XIII, celebri Constitutione *Inter gravissimas*, 24 febr. 1582, de reformatione calendarii, confirmavit, observare debemus potissimum computationem temporis quam eadem Constitutione, idem Pontifex pro toto orbe promulgavit. Quae computatio, sua facilitate commendanda, attendet ad lunam mediam quam Gregorianam appellabimus, et quae proin ad rationes astronomicas non omnino exigitur.

Itaque, cum aliae sint rationes astronomicae, aliae vero liturgicae, non ipsi astronomi de nostra celebratione paschali interrogandi sunt, sed dies a computatione Gregoriana repetenda est.

Plena enim luna paschalis astronomice aliquot horis sequi potest plenam lunam Gregorianam.

Tunc autem, si istae horae pertineant ad duos dies solares, seu mediam noctem sabbati contineant, fiet ut Iudaei, qui utuntur computatione astronomica (1), Pascha celebraturi sint, tamquam in 14 *nisan*, in Dominica ipsa in qua christiani Pascha celebrabunt, quia pro ipsis, secundum computationem Gregorianam, dies ista est 14 *nisan* posterior.

Iam vero, hoc anno, astronomice luna erat plena in Europa die 17 aprilis, dum computatio Gregoriana eandem ad diem 16 aprilis ascribebat.

Epacta enim, quae signat primam lunae diem, habet, hoc anno, numerum XXVII, b, qui, in tabellis calendarii, legitur e regione diei 3 aprilis.

Itaque, si, ut faciendum esse monemur Instructione *de anno et eius partibus* quae initio Missalis legitur, ab ista die « *inclusive*... deorsum versus nu-

(1) Antequam possent initium lunae mathematice definire, per diem qua luna finem habebat, sanhedritae exspectabant momentum quo duo testes fide digni testarentur lunatum sinum a se visum esse, ut, nisi hora tardior esset, sacrificium, neomeniae ilico offerretur. Sic LESÊTRE apud VIGOUROUX, *Dict. de la Bible*, V. néoménie.

merentur 14 dies », inveniemus 14 diem lunae tribuendam esse diei 16 aprilis ita ut Dominica 17 aprilis, utpote quae diem istam proxime sequatur, Pascha nostrum esse debuerit.

In iam allegato loco HEFELE-LECLERQ, p. 477, referunt ex IDELER, *Handbuch der Chronologie,* t. II, etiam anno 1825 Pascha Iudaeorum eadem die qua Pascha Christianorum occurrisse.

A. VERMEERSCH, S. I.

Solutio casus de baptismi subiecto, ritu et patrinis, propositi p. 55.

Ad I. Immunis a reprehensione dicendus est qui actionem suam accommodaverit ad severam regulam inculcatam ephemeride (*Ami du Clergé*, 1926, p. 753).

Quadrat enim ad positivas indicationes responsi S. Officii 30 mart. -- 1 april. 1898 : « De Mahumedanis moribundis et sensibus destitutis respondendum est ut in decr. S. Officii 1850 ad Episc. Perthensem, id est : Si antea dederint signa velle baptizari, vel in praesenti statu aut nutu aut alio modo eandem dispositionem ostenderint, baptizari posse sub condicione, quatenus tamen Missionarius, cunctis rerum adiunctis inspectis, ita prudenter iudicaverit » (*Analecta Eccl.* VI, 187).

Conclusio tamen ephemeridis laudatae nobis nimio rigore peccare videtur. Ipsa enim responsum Supremae Congregationis trahit ad significationem quae ei non inest. S. Officium, quando declarat posse baptizari si haec condicio impleatur, non ideo affirmat non posse baptizari sine illa condicione. Si consideres quanta prudentia S. Sedes procedere soleat ut suis responsis

plenam det securitatem, haec minime ut aequipollentia habebis. Atque, in casu praesenti, si condicio positive declarata sufficiens, exigenda videretur ut condicio sine qua non, merito exspectaretur verbulum ad improbandam sententiam benigniorem, quae Supremam Congregationem profecto non latebat.

Etenim, de dispositione quae in adulto sufficiat ad valide suscipiendum baptismum, non una est sententia. Audiatur probatissimus auctor LEHMKUHL: « Aliqui scriptores, ut CONINCK, De sacram. q. 64, n. 103; Dicastillo; Reuter, IV n. 63, 5; MAZZOTTA,, tr. 5, disp. l. q. 3. c. 2 *cum multis aliis* quos vide apud LACROIX, L. 6, p. l, n. 168, illum dolorem supernaturalem ex fide conceptum habent « pro voluntate baptismi, fortasse sufficienti »: neque omnem probabilitatem huic opinioni negare, in animo est. Quare haec usui esse potest in homine *moribundo sensibus destituto,* quem iuvare etiam cum tenui probabilitate, si aliter fieri nequit, caritas iubet ».

Audiatur PAYEN, *Casus de baptismo in Missionibus, ac praesertim in Sinis* (n. 138, 2) « Ubi agitur de homine qui de Ecclesia Christi et de baptismo *nihil umquam audivit,* controvertitur num voluntas faciendi omnia quae ad salutem necessaria sunt, qualis in omni..... attritione de peccatis commissis continetur, implicite includat voluntatem baptismi suscipiendi (Monita ad Miss. Nankin. a. 1918, n. 644) ».

Mahumetanis autem, cum revelationem divinam agnoscant, facilius est ut, opitulante auxilio divino, attritionem supernaturalem concipiant. Quare, cum in extrema necessitate, caritate impellamur ad nihil neglegendum quod animae ianuam salutis fortasse aperire queat:

I. Non damnamus quidem cappellanum qui, lucubratione ephemeridis perterritus, iam omittit baptismum condicionatum infirmorum et mahumetanorum qui nullam baptismi voluntatem aperuerint; sed,

2. laudamus clericum qui eosdem baptizat;

3. cavendum nobis videtur ut acta S. Sedis caute perpendamus, de variis sententiis theologorum diligenter inquiramus; facile tunc fiet ut minus absolute negemus quod potest animae esse medium aeternae salutis.

Ad. II. Vicarius foraneus parochum non immerito carpit quod in suam ecclesiam introduxerit modum insolitum infundendi aquam, qui locum dubitandi aperire possit. Etenim, quando humana alterius ope, aqua fluat, minister vero infantem aquae sic fluenti submittat, de validitate baptismi dubitatur. Cf. LEHMKUHL, II, n. 68, 4.

Quare si parochus, in casu, aquam sic manu recipiat, ut nova infusio seu ablutio ab eius manu initium habeat, omnia quidem erunt bene facta; si autem aqua mere per manum parochi transierit, ita ut aedituus videatur causa principalis esse cur fluat, baptismus dubius erit, et infantes sic baptizati erunt sub condicione iterum abluendi.

Ad III. Avunculus re vera non fuit patrinus. Nequit enim praesumi de futuro consensus qui ad valorem requiritur. Iam vero cum avunculus omnia de nato Aloysio ante reditum suum ignoraverit, nullum consensum vere dare potuit.

In causa quidem Ultraiectensi de patrino per procuratorem in Hollandia, *S. C. de Sacramentis* benignum responsum dedit 24 iul. 1925 (*A. A. S.*, XVIII, 43; *Per.* XV, 37). I. e. cum in Hollandia usus esset dandi ab astantibus procuratorem pro patrino absente, mandatum istud valere potuisse in huiusmodi adiunctis declaratum est. Verum in isto casu, patrinus munus formaliter acceptaverat, et morem cognoscebat nominandi absenti procuratorem. Potuit igitur tacite mori isti annuere.

A. VERMEERSCH, S. I.

Casus de Confirmatione: ministri competentis et patrini.

I. Adulphus, religionem ingressurus, rogatus est secundum c. 544 § 1, afferre testimonia baptismi et confirmationis. Cum dictis obtemperaret, nihil aliud afferre potuit nisi scriptam fidem baptismi collati a sacerdote *ritus Orientalis,* qui simul testatus est se, more Orientali dedisse Adulpho, una cum baptismo, sacramentum confirmationis.

Inde Superiores interrogant utrum necne confirmatio sit sub condicione iteranda, ante ingressum in religionem.

II. Cum Robertus, natus in America Septemtrionali, se praesentaret ad recipiendam primam tonsuram cum litteris dimissorialibus proprii Episcopi, Episcopus Fesulanus, a quo ordinationem petierat, testimonium receptae confirmationis quaesivit. Robertus autem confessus est de isto sacramento recipiendo se numquam verbum audivisse. Iussit igitur Episcopus Fesulanus ut Robertus obtineret a proprio Episcopo licentiam ad recipiendam confirmationem ab Antistite Fesulano; et interea prima tonsura supersederetur.

III. Franciscus, missionarius, magno zelo praeparaverat neophytos ad recipiendam confirmationem. Paulo ante istam administrationem vocatus est ad assistendum aegroto periculose decumbenti, ita ut Episcopus solus manserit in loco cum neophytis, quorum nullus erat confirmatus. Nullus igitur poterat munere patrini fungi. Quid tunc Episcopus? « Ego, inquit, ero simul minister et patrinus ». Quocirca, dum pollice dextero manus imponebat, singulos confirmandos manu sinistra apprehendebat ut se demonstraret patrinum. Quaeritur utrum necne valide et licite egerit.

PARS ALTERA

MONUMENTA

28. — SS. D. N. Pii PP. XI

Allocutio consistorialis 20 iun. 1927

De laetis et tristibus eventis

(A. A. S., 1 iul. 1927, XIX, 233)

Venerabiles fratres

SS. D. propositum.

Amplissimum Conlegium vestrum et episcoporum ordinem antequam suppleamus — qua quidem de causa vos in consistorium hodierno die convocari iussimus, — libet Nobis nonnulla et laeta et tristia praefari, eo magis, quod, socii ut estis adiutoresque laborum Nostrorum, si quid Nobis in apostolico ministerio aut solacii aut maeroris contigerit, utrumque singulari animorum consensu participare consuevistis.

Laetitia, Spes concepta ex commemorato tertio pleno saeculo a condito collegio Urbaniano.

Cumulatum sane gaudium Nobis attulisse eam nostis quae nuper est habita tertii pleni saeculi ab condito Conlegio Urbaniano commemoratio. In qua ceteris quasi praeire Nosmet et praeesse voluimus, sacrum sollemne in Petriano templo agentes, cuius quidem templi amplitudo ac magnificentia cum peculiari illa, quae Romani Pontificis est, rituum maiestate tam mirifice congruit. Decuit profecto, prope venerandos Principum Apostolorum cineres Pontificalem liturgiam haberi, quorum patrocinio et nomini fel. rec. decessor Noster Urbanus VIII Conlegium a se conditum, initio, commendatum voluit (1). Aequum item fuit, gratias Servatori Deo publice agi, quo certe frugiferi auctore consilii factum est, ut ad christianam fidem humanitatemque proferendam Ecclesiae licuerit tot tamque stre-

(1) Bulla *Immortalis*, 1 Aug. 1927 § 4.

nuos hoc trecentorum annorum spatio apostolicos viros ex Urbe in ethnicas regiones dimittere; placuit praeterea Conlegii alumnis, et qui sunt et qui fuere, huc undique coeuntibus gratificari, qui decessorum suorum virtutes amplificandaeque religionis studium in se ita referunt, ut maximos de suo apostolatu fructus aut ediderint antehac aut in posterum sperare iubeant.

Acerrimam autem eiusmodi veritatis evangelicae propagandae voluntatem, carminibus concentibusque redditam ac sub dio veluti personantem, comperimus — nonnulli ex vobis, Venerabiles Fratres, intererant — cum delecti ex Conlegio Urbaniano iuvenes coram Nobis saeculare eventum et benefacta inde orta, alii alio sermone, celebrando extulere. Per recitationes quidem illas, quae plus habuere, quam ignaris videretur, iucunditatis, afficiebamur vehementius tenebamurque non tam cogitatione quam sensu quasi quodam eius, quae in Nobis inest divinitus, universae paternitatis, et obversabantur animo et paene ante oculos nationes illae, unde profecti essent, ad Petri Cathedram instituendi, ii ipsi iuvenes, qui, sua quisque lingua suaque sentiendi eloquendique varietate, Romani Pontificatus caritatem et providentiam dilaudabant et sacri ministerii inter populares suos aliquando exercendi gaudia praecipere videbantur. In tantarum consideratione rerum fuit plerumque, Venerabiles Fratres, cur admodum delectaremur; verum alicunde talia occurrebant, quae tristitiae nubem animo communis Patris obducerent atque offunderent.

Tristitia ex bello intestino Sinarum, quarum populus est S. S. carissimus.

Per interminatos Sinarum tractus, intestino exagitatos laceratosque bello, ubique et trepidatio et vastitas et luctus; in missionales nostros, in religiosas sorores, in utrorumque stationes, in domos orbis pueris puellisque tutandis barbare saevitum; nec vero incendia nec caedes defuere. Quae quidem omnia, opinamur, Sinensis populus, suapte natura generosus, et publicae tranquillitatis amator, non admitteret nec toleraret, nisi civilis discordiae socialisque eversionis semina invecta aliunde essent. Neque enim Sinenses ignorant, se in oculis Nostris ferri; quodsi in eo multum gloriati laetatique sunt, quod ipsis dedimus, atque ad Apostolorum sepulcra Nosmet consecravimus, sex indigenas episcopos, at aestimationis et caritatis, qua vetustissimam nationem illam prosequimur, significationes longe graviores, quotiescumque per occasionem licuerit, daturi equidem sumus. Atque utinam ad eorum res componendas aliquid aliud conferre possemus quam preces, quas Deo et adhibemus et adhibituri sumus. Publico interea ornatos

volumus praeconio et missionales et fideles, qui, in tanta rerum perturbatione qua Sinae conflictantur, in officio suo animose et fortiter perstitere.

Laus fortis animi missionalium et fidelium.

Ad aliam praeterea gentem, quae pro christiani nominis libertate paene universa cruentatur, cogitatione tum ferebamur hodieque ferimur. Quod iam pridem Mexicanus episcopatus, clerus populusque facit divino Ecclesiae Conditori martyrium, non tam inlustre dixeris quam inter inlustriores annalium nostrorum fastos, ad immortalem rei memoriam, referendum; extorribus autem relegatisve episcopis, quibus nihil esset antiquius quam gregi adesse cuiusque suo, gregem consolari, pro grege mori, iterum iterumque paternam gratulationem caritatemque Nostram, in hoc amplissimo consessu vestro significamus. Avulsi quidem sint de honoris sui sedibus; at nemo avellere eos poterit de complexu Nostro, nemo prohibebit quominus eos sequatur atque adeo comitetur desiderium fletusque populi sui. — Quamquam non eorum populares tantummodo, sed etiam omnes excultae christianaeque gentes admiratione eos et comploratione prosequuntur; quo in genere imprimis digni, qui a Nobis commemorentur, sunt Foederatarum Americae Civitatum episcopi, qui Mexicanae Ecclesiae inlustrare causam et afflictorum conlegarum inopiae succurrere non cessant.

Martyrium Mexicanum magno affectu complectitur Pontifex.

Laudat caritatem Ep.orum Foeder. Statuum Americae.

Ceterum, quam recrudescere passim barbariam et in catholicum nomen exacui pugnam videmus, utramque profecto ab omni humano civilique cultu alienissimam, eadem nonne, quemadmodum ab inito Pontificatu usque adhuc monuimus, doctrinarum contagioni illarum debetur, quae palam occulteque ad societatem hominum reique publicae ordinationem evertendam, nullâ fere gubernatorum providentia, disseminantur et tamquam mortiferum virus in venas ipsas Civitatis permanant? Plurimum igitur interest — quod impense hortamur — et episcopos et sacerdotes et fideles omnes perpetuis Nobiscum precibus divinam opem implorare populis misere laborantibus; quibus utinam concordiae religiosaeque libertatis dies tandem aliquando illucescat.

Mala, quae perversarum doctrinarum contagio tribuenda sunt, communibus precibus sunt avertenda.

Iam nunc ad res Galliae religiosas convertamur, de quibus vos, Venerabiles Fratres, in consistorio proxime superiore allocuti pro officio sumus. Fuit quidem, haud ita multo ante, animus ea de causa ad episcopatum, clerum populumque illius carissimae Nobis nationis aliquanto fusius perscribere, praesertim post datam ab episcopis ipsis ad fideles *Declarationem* et epistulam ad Nos missam, utramque sane temporibus opportunam et Nobis pergratam, ut iisdem cito significari volui-

De rebus Galliae.

Supersedens consilio fusius perscribendi de causa ista,

mus; verum, attente amanterque prosequentibus Nobis rerum eventuumque cursum, legentibusque accurate quicquid aut typis vulgatum aut scripto traditum continenter ad Nos perfertur, visum est supersedere adhuc consiliique effectum Nostri in aliud tempus differre.

Pontifex cum Cardinalibus solacium suum et aegritudinem communicat: Solacium ex aliorum docilitate, aegritudinem ex aliorum contumacia.

At tamen nolumus magnam vestri huius consessus praeterire opportunitatem quin vos cum praeclari, quo perfundimur, solacii, tum gravis, qua afficimur, aegritudinis in partem hodie vocemus. Praeclarum quidem solacium Nobis afferunt e Gallia filii seu singulatim seu gregatim, maxime iuvenes, qui aut per se ipsimet aut per Antistites suos non cessant cum se iudicio iussisque Nostris subiicere, tum gratias Nobis agere: quibus placet denuo Nostram approbationem gratamque testari voluntatem. Aegritudine vero illud Nos afficit non mediocri, quod, ut verbis utamur Apostoli, *sunt*... — quamquam non ita *multi* — *etiam inobedientes, vaniloqui et seductores... docentes quae non oportet* (1)... *quos,* sicut idem Apostolus, *oportet redargui* (2). Namque de eorum sententia agendique ratione si quidem sileamus, idem vere sit atque pernicioso errori servire — quemadmodum ab ipsis Galliae episcopis declaratum est, — eos item in contumacia confirmare eorundemque vaniloquia, seductiones et falsas doctrinas fovere: neque enim solida animorum pax ac tranquillitas nisi in veritate et in ordine, caritate quidem duce atque effectrice, consistit. Quod autem semel iterumque declaravimus, id ipsum hodierno die confirmamus: quicumque vere resipuerint in animumque sincere induxerint nimis iam diuturnum pessimi exempli resarcire flagitium, quod in Ecclesiam universam, in Gallicam potissimum, admisere, paterna eos cum benignitate et caritate excipere et complecti paratissimi sumus. Atque fore, Dei misericordiâ, quam suppliciter cotidie imploramus, ut brevi omnes se ad se revocent et ad communem Patrem redire velint, vehementer speramus ac confidimus. Etenim supra quam credibile est dolemus atque angimur, quotiescumque subit cogitatio animum, fieri aliquando posse, ut vel ad unum e dilectis iis filiis, qui ab officio desciverunt, illud accommodare cogamur, quod prima Ecclesiae aetate — neque enim Sanctae huic Matri defuit unquam ab filiis lugendi causa — Ioannes, Apostolus ille caritatis, dicere coactus est: *Ex nobis prodierunt, sed non erant ex nobis; nam,*

Paratus benigne excipere resipiscentes, Pontifex anxius timet ne cogatur vel uni ex iis accommodare verba S. Ioannis de apostatis.

(1) *Tit.*, 1, 10-11.
(2) Ibid.

si fuissent ex nobis, permansissent utique nobiscum; sed ut manifesti sint, quoniam non sunt omnes ex nobis (1).

Maxime maeret casum eorum qui caecis se praebent duces. Eos Pontifex graviter redarguit,

Maxime vero eorum casum maeremus, si qui sunt — quod pro certo affirmatur, quamquam Nobis vix credibile ad hunc diem visum est, — qui, caeci cum sint, caecis se praebent duces: quorum in mentem satius erit verba illa Domini redigere quae omnino obliti videntur: *Vae vobis, duces caeci* (2)... *Numquid potest caecus caecum ducere? nonne ambo in foveam cadunt?* (3) In foveam scilicet erroris et discordiae, quia resistunt ordinationi *Dei, qui in cathedra unitatis doctrinam posuit veritatis,* ut praeclare docet Augustinus (4). Quorum quidem caecitas, ducum scilicet, et pedisequorum, inde iam manifesto apparet, quod contra ipsum christifidelium omnium Patrem et Magistrum reapse se extollunt, quamquam verbis se eius agnoscere ac vereri auctoritatem profitentur. Aiunt enim, Nos, in causa quae agitur vel rerum ignaros esse vel falsa edoctos vel a Nostris administris, quorum fidelitatem nolumus hic peculiari sine laude praetermittere, per obscuras machinationes et per commenticia scripta deceptos, vel partium studiis, ad imperii cuiusdam restitutionem, servire, vel alicuius nationis amore abripi vel, auctoritatis Nostrae fines praetergressos, aliena patriae caritati iubere: quae quidem omnia, in Nos per quam iniuriosa, non tam declarationibus Nostris, iteratis et expressis, atque ipsi veritati evidentissime repugnant, quam redolere amentiam videntur. Interea indoctes istos filios monere cum Apostolo non dubitamus: *Mihi autem pro minimo est, ut a vobis iudicer aut ab humano die; sed neque meipsum iudico... qui autem iudicat me, Dominus est* (5).

verbis S. Ambrosii et Cypriani concludens.

Placet ingratum argumentum sollemnibus concludere iisdemque gravissimis verbis, quibus Ambrosius Noster itemque Cyprianus Episcopus et Martyr Ecclesiae unitatem inlustrant, non eam solum quae ad fidei pertinet dogmata, sed eam etiam quae in auctoritate et obedientia continetur. Est igitur Ambrosii celeberrima sententia: *Ubi Petrus, ibi Ecclesia; ubi Ecclesia, ibi nulla mors sed vita aeterna* (6). Verum ad hanc quod attinet, Cyprianus iam affirmarat: *Nec perveniet ad Christi praemia qui reliquit Ecclesiam Christi. Alienus est, profanus est, hostis est.*

(1) Io., II, 19.
(2) MATTH., XXIII, 16.
(3) LUC., VI, 39.
(4) *Ep. CV,* c. v. 16 -- *P. L.,* XXXIII, 403.
(5) *I. Cor.,* IV, 3.
(6) In *Ps. XL.,* 30 — *P. L.,* XIV, 1134.

Habere non potest Deum patrem qui Ecclesiam non habet matrem (1). Idem paulo ante: *Hanc Ecclesiae unitatem qui non tenet, tenere se fidem credit? Qui Ecclesiae renititur et resistit, in Ecclesia se esse confidit?... Quam unitatem tenere firmiter et vindicare debemus, maxime episcopi, qui in Ecclesia praesidemus, ut episcopatum quoque ipsum unum atque indivisum probemus* (2). Quae sane postrema verba ideo omittenda Nobis non erant, quia in laudem Venerabilium Fratrum Episcoporum Galliae praescripta quodammodo videntur: Episcoporum Galliae, inquimus, qui, ut ex sententia loquamur divini Pastoris et Episcopi animarum nostrarum (3), permanserunt in tribulationibus Nostris (4). His sane aliisque Patrum documentis se, toto pastoralis vitae cursu, mirifice conformavit Venerabilis Alanus De Solminihac, Episcopus Cadurcensis, de cuius heroicis virtutibus sollemne decretum hesterno die promulgavimus; nec sine peculiari providentis Dei consilio factum arbitramur, ut nobilissima eius causa, quae tamdiu iacuerat, hisce ipsis diebus, tam bono cum exitu, instauraretur, et in luce catholici orbis praeclarum huius e Gallia Episcopi exemplum splendesceret, qui cum in omni virtutum genere enituerit, tum obedientia et pietate in Apostolicam Sedem et in Iesu Christi Vicarium, alienissimo si unquam tempore, magnopere praestitit.

Dicta confirmat exemplo venerabilis episcopi Cadurcensis, Alani De Solminihac.

Iam ad id, quod causa Nobis Sacri Conlegii vestri convocandi fuit, gradum faciamus. Itaque lectissimos duos romanae purpurae dignitate decrevimus honestare viros, qui, ob doctrinae laudem atque exanclatos in Ecclesiae bonum labores, cum magnam catholicorum aestimationem tum Nostram sibi benevolentiam conciliarunt. Hi sunt:

Iam duos creat Cardinales:

Ioseph Ernestus van Roey, Archiepiscopus Mechliniensis;
Augustus Hlond, Archiepiscopus Gnesnensis et Posnaniensis.

Iosephum Ernestum van Roey; Augustum Hlond.

Quid vobis videtur?

Itaque auctoritate omnipotentis Dei, sanctorum Apostolorum Petri et Pauli ac Nostra creamus et publicamus S. R. E. Cardinales

Ex Ordine Presbyterorum

Iosephum Ernestum van Roey,
Augustum Hlond.

---

(1) *De Unitate Ecclesiae*, VI — *P. L.*, IV, 519.
(2) Ibid. IV, sq. — Ibid. 519.
(3) *I. Petr.*, II, 25.
(4) Luc., XXII, 28.

Cum dispensationibus, derogationibus et clausulis necessariis et opportunis. In nomine Pa✠tris et Fi✠lii et Spiritus✠ Sancti. Amen.

Superest ut viduatis Ecclesiis Episcopos praeficiamus.

ANNOTATIO

Hoc unum iuvat hoc loco observare. Dum causas laetandi et dolendi commemorat, S. Pontifex habituale consilium suum prosequitur. Cfr. v. g. allocutiones consistoriales 14 dec. 1925 et 20 dec. 1926, quae in *Per.* t. XIV et XV habentur.

29. — S. C. de Sacramentis

I. Ex aud. SS. 29 mart. 1926.

INDÙLTUM PRO SACERDOTIBUS ADORATORIBUS

Orator. Procurator Generalis Congregationis Presbyterorum a SS.mo Sacramento, ad pedes Sanctitatis Vestrae provolutus, humiliter postulat ut omnibus sodalibus Associationis Sacerdotum Adoratorum a Beato Petro Iuliano Eymard institutae facultas concedatur qua possint, si quando infirmi inveniantur nec valeant ex medici attestatione servare ieiunium naturale ante Sacram Communionem praescriptum, etiam quotidie Sanctissimam Eucharistiam sumere more laicorum, etsi aliquam medicinam vel aliquid per modum potus antea sumpserint. *Petitio*

Ex Audientia SS.mi diei 29 Martii 1926

Aud. SS.mi 29 mart. 1926. SS.mus D.nus Noster Pius Papa XI, audita relatione infrascripti Cardinalis Praefecti Sacrae Congregationis de Sacramentis, precibus annuere dignatus est iuxta petita ad septennium, nempe ut sacerdotes de quibus in precibus, durante infirmitate, accedere valeant ad Sacram Communionem more laicorum recipiendam *etiam quotidie,* de consilio confessarii, postquam sumpserint aliquam medicinam vel aliquid per modum potus, *praemonito Ordinario loci eiusque obtenta venia,* remota *Gratia ad septennium.* *Addita clausula.*

fidelium admiratione, aliisque de iure servandis. Contrariis non obstantibus quibuscumque.

II. Declaratio indulti superioriis

Idem Procurator generalis haec dubia proposuit de requisita venia Ordinarii loci.

Valetne venia semel facta in genere?

1° — Se (1) detta clausola debba intendersi in modo che l'Ordinario possa *una volta per sempre e in modo generale*, con atto pubblicato nell'organo ufficiale della Diocesi, concedere detto permesso ai soci che si trovano nelle condizioni volute.

Potestne subdelegari?

2° — Se l'Ordinario possa subdelegare, v. g. i Vicarii foranei, o i superiori delle case chiericali per i loro sudditi legittimamente ascritti all'Associazione, a concedere detto permesso nei singoli casi.

Difficultas dilationis.

3° — In che modo si può provvedere a che i Sacerdoti Adoratori non siano privati della S. Comunione per i diversi giorni che sono necessari per ricorrere all'Ordinario ed averne la risposta?

Dies (4 feb. 1927).

La S. Congr. dei Sacramenti, il 4 febbraio 1927, ha risposto come segue:

Ad 1.

Al 1° *Negativamente:* quindi il permesso deve domandarsi da *ciascun* Sacerdote Adoratore individualmente.

Ad 2.

Al 2° *Affermativamente:* ma conviene che l'Ordinario non conceda questa subdelegazione oltre l'anno.

Ad 3.

Al 3° viene provveduto nel 2°.

---

(1) *I. e. latine.* 1. Praefata clausula estne sic intellegenda ut Ordinarius possit *semel pro semper et in modo generali*, nuntio promulgato in Officiali dioecesis ephemeride, veniam istam concedere sociis quae in debitis condicionibus versantur?

2. Potestne Ordinarius subdelegare v. g. Vicarios foraneos vel Superiores domorum clericalium pro subditis suis legitime cooptatis in consociationem, ad praefatam veniam in singulis casibus concedendam?

3. Quo modo cavere possit ne Sacerdotes Adoratores priventur S. Communione per plures dies necessarios ut recurratur ad Ordinarium eiusque responsum obtineatur?

S. C. de disciplina Sacramentorum, die 4 febr. 1927, hoc modo respondit:

Ad 1. *Negative:* itaque venia a *singulis* Sacerdotibus Adoratoribus petenda est.

Ad 2. *Affirmative*, sed decet ut Ordinarius subdelegationem non ultra annum concedat.

Ad 3. Provisum in 2°.

ANNOTATIONES

I. Valde nota et diffusa est consociatio sacerdotum adoratorum SS. Sacramenti, erecta in Congregatione Presbyterorum a SS. Sacramento, qui principale officium assumunt peragendi singulis hebdomadis, per integram horam, adorationem coram Sanctissimo.

II. Peculiaris gratia pro ipsis petita, non est concessa nisi iuxta modum. Orator enim nullis aliis condicionibus facultatem obnoxiam fecerat praeter infirmitatem in qua, ex medici fide ieiunium naturale servari non poterat, dum Sanctissimus praeterea postulavit ut ab Ordinario loci praemonito venia obtineretur et fidelium admiratio removeretur.

III. Itaque *usus* facultatis exigit:

1. *infirmitatem.* Non est opus ut a mense decumbant. Immo nec necesse est ut decumbant;

2. *testimonium medici* fidem facientis ieiunium naturale ab infirmo servari non posse. Intellegas istud *non posse* de omni serio incommodo seu difficultate.

3. *nuntium datum Ordinario loci* de indulto et de infirmitate; et *veniam* ab Ordinario loci datam. Ut aliis verbis utamur, venia utendi indulto est postulanda ab Ordinario loci.

S. C. de Sacramentis prudenter respondit veniam istam non posse esse generalem, semel pro semper collective datam, sed eam singulatim esse impetrandum. Istud videbatur colligendum ex necessitate praeviae monitionis. Qui generali modo usum indulti permittere potest non debet de futuro usu praemoneri.

Subiunxit tamen S. Congregatio potestatem subdelegari posse. Etenim, ex c. 199 § 2, facultates concessae a S. Sede per se subdelegari possunt. Nova autem subdelegatio excluditur canone. Opportune additur non decere ut subdelegatio plus quam ad annum concedatur, ita ut saltem singulis annis renovanda sit.

IV. Removeri quoque debet scandalum istud improprie dictum quod in admiratione populi consistit. Ad istud removendum satis per se erit homines certiores facere de gratia concessa et de honestissimo eius titulo, cum specialem devotionem erga SS. Eucharistiam congruo praemio remuneret.

V. *Alia de iure servanda* sunt praescripta de modo deferendi et dispensandi sacram dapem; sunt caerimoniae Ritualis.

VI. Insignis autem favor, est cotidiana refectio sacramentalis, et quidem a prima infirmitatis die usque ad convalescentiam, etsi sumpta consulto fuerit medicina aut alia res etiam nutritiva per modum potus.

VII. Sola tamen permittitur communio more laicorum; dispensatio enim celebrantis severioribus normis regitur, quae v. g. publicam causam exigunt.

VIII. Ordinarius loci non est Ordinarius domicilii, sed loci ubi dispensatur s. communio. Is enim quid adiuncta ferant prudenter aestimare potest.

IX. *Huc tandem recidit vis gratiae concessae ut sacerdotes adoratores ab Ordinario loci obtinere possint quod alii per S. C. de Sacramentis petere debent.*

X. Possuntne omnes Adoratores ascripti utifrui isto indulto?

Excipiendi nobis videntur *religiosi*. Etenim post responsa 7 dec. 1922 de Ss. Congregationum competentia religiosi adire debent *S. C. de Religiosis* ut a ieiunio naturali pro communione servando dispensentur (Cf. *A. A. S.*, 1923, XV, 39 vel *Per.* XII, 43). Opportunum igitur fuerit ut supplici libello ad S. C. de Religiosis directo, gratia ad Adoratores religiosos extendatur.

XI. Observes S. C. de Sacramentis hactenus solam sumptionem per modum potus permisisse, tacendo de medicina solida, quam Codex etiam permittit infirmis qui a mense decumbunt.

30. — S. Cong. Concilii

Responsa 14 nov. 1925

DE TERTIA PARTE CANONICORUM ET OBLIGATIONE HEBDOMADARII (1)

Dubia

Caurien. — 14 novem. 1925. — Episcopus Caurien, in Hispania, tria haec dubia solvenda proposuit:

Possuntne iubilati in 3. parte canonicorum computari?

I. Utrum canonici iubilati et qui chorale indultum obtinuerunt, censeri possint inter praesentes ad effectum constituendi, simul cum aliis, duas tertias partes Capitularium, qui ex praescripto Codicis (Can. 418 § 2) servitio chori intenti esse debent; vel potius computari debeant, prout vere et realiter sunt, inter absentes, ita ut aliis canonicis consuetas vacationes impediant.

Estne tertia pars omnium canonicorum?

II. Utrum tertia pars canonicorum, de qua in citato can. 418 § 2, intelligi debeat tertia pars numeri totalis canonicorum cuiuscumque ecclesiae; vel tertia dumtaxat pars canonicorum qui, demptis iubilatis et indultariis, supersunt, ita ut semper et in omni casu aliqui vacationibus frui possint.

Immunitas canonici hebdomadarii.

III. Utrum post Codicem sustineri valeat consuetudo, vi cuius canonicus hebdomadarius et excusatur ab horis canonicis cantatis Missam conventualem sequentibus et fructus praebendae et distributiones illis horis respondentes percipit; an e contra post Missam celebratam ad chorum redire teneatur ibique manere usque ad finem cantus Nonae (vel Vesperarum tempore Quadragesimae).

Dies (14 nov. 1925)

Die 14 novembris 1925. — Sacra Congregatio Concilii in plenariis Emor.um Patrum comitiis respondendum censuit:

Responsa

Ad I. Ad I. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad alteram.

Ad II. Ad II. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad alteram.

Ad III. Ad III. *Affirmative* ad primam partem, *negative* ad secundam.

Et ad mentem. *Mens est:* Si Missa tempore Quadragesimae cantetur post Tertiam, hebdomadarius tenetur redire ad chorum tempore Vesperarum.

Approbatio Sanctissimi

Dies (16 nov. 1926)

Facta autem SS.mo D.no Nostro Pio div. Providentia PP. XI relatione per infrascriptum S. Congregationis Secretarium, in audientia diei 16 eiusdem mensis et anni, Sanctitas Sua datas resolutiones approbare et confirmare dignata est.

DONATUS Card. SBARRETTI, *Praefectus*
† IULIUS *ep. Lampsacen, Secretarius*

(1) Ex *Monitore Ecclesiastico*, 1927, p. 133.

ANNOTATIONES

I. Canone 418 § 2 non permittitur uno eodemque tempore capitulares ultra tertiam partem abesse.

Hinc pronum fuerit quaerere utrum iubilati aliique fruentes indulto quo choro abesse possint considerandi sint ut praesentes vel ut absentes. Si ut absentes, imminuent facultatem feriarum ceterorum; si ut praesentes, eidem proderunt. Ponas Capitulum constare 15 canonicis, quorum tres sint iubilati vel a choro dispensati. Si tres isti considerentur ut *absentes*, soli *duo* alii canonici eodem tempore abesse poterunt; si ut praesentes, quinque simul feriari poterunt. Tertia enim pars quinque canonicis componitur.

N. B. Nisi fallimur, dubium non erat utrum necne inter *Capitulares* numerandi forent iubilati: hoc nimis manifestum erat; sed utrum iam, *quia iubilati,* ut perpetui absentes an potius, *quamvis iubilati,* ut praesentes habere possent.

Et S. Congregatio magis benignam responsionem dedit.

II. Alterum quaesitum, quo nostra interpretatio de priore confirmatur, est de attendenda summa ad aestimandam tertiam partem quae praesens adesse debet.

Ut in exemplo supra allato insistamus, si Capitulum constet 15 canonicis quorum tres iubilati aut indultarii, debentne semper adesse $\frac{15}{3} = 5$ canonici, an soli $\frac{12}{3} = 4$?

Responsum autem est tertiam partem completae summae computandam esse. Quod prioris responsi logicum consectarium est.

Fieri quidem potest ut, si multi fuerint iubilati vel

indultarii, ceteri canonici parum abesse permittantur, cum praetermitti nequeat obligatio qua e c. 413 § 1 tenetur capitulum rite persolvendi officium divinum in choro. Sed, ut monet *Monitore* in annotationibus ad decretum, Episcopus speciali licentia, quam ex c. 418 § 2 dare permittitur, feriis canonicorum prospicere potest, servitium autem chori obtinere potest tum per beneficiarios minores, tum per potestatem quam habet revocandi canonicos immunes, ne divinus cultus aliquid detrimenti capiat. Cf. BENEDICTUM XIV, *Inst.* 107, § VI n. 64.

III. Tertio responso prudenter provisum est ut hebdomadarius, sine damno suo, congruenti gratiarum actioni post suam Missam vacare possit. Si tamen post Missam Sexta, Nona et Vesperae canantur, Vesperas commode participare potest, ac proin debet.

IV. *Quaeres* num hebdomadarius, non solum a chorali cantu seu psalmodia sed etiam *a privata recitatione* dispensetur horarum per quas pro gratiarum actione abfuit a choro ?

Hoc autem, seclusa legitima consuetudine, negandum esse arbitramur. Non ultra eius rationem seu causam, excusatio producenda est ; et constans est regula ut pro chorali recitatione succedat privata, iis qui sunt in ordine sacro.

31. — S. Cong. Concilii

LITTERAE CIRCULARES AD ORDINARIOS ITALIAE 15 IAN. 1927 DE PERVERSA SANCTORUM CELEBRATIONE (1)

Ill.mo e Rev.mo Monsignore

Litterarum occasio.

Da (2) varie parti d'Italia, e specialmente del Mezzogiorno, con maggiore frequenza che non per il passato, vengono de-

(1) Ex ephemeride *Perfice munus*, 1927, p. 252.

(2) *I. e. latine*. E variis partibus Italiae, maxime e meridionali, saepius quam antea denuntiantur abusus insinuati in manifestationes cultus publici,

nunziati abusi infiltratisi nelle manifestazioni del culto pubblico, specie nei così detti festeggiamenti quali sogliono aver luogo in occasione delle solennità religiose.

Abusiones infestorum celebratione.

È stato riferito a questa Sacra Congregazione del Concilio che non è infrequente il caso, che laici poco o punto praticanti, senza nessuna intesa con i parroci e con i rettori di chiese, e senza nessuna approvazione da parte dell'autorità diocesana, si costituiscono arbitrariamente in comitati e commissioni, e sotto il titolo di *procuratori* o *mastri di festa*, fanno collette senza darne il rendiconto, stabiliscono e trasferiscono senza riguardo alcuno al calendario ecclesiastico i giorni delle feste patronali, stipulano contratti per addobbi in chiesa, impongono *orari* ed *itinerari* per le processioni, invitano predicatori, ecc., senza affatto consultare nè i parroci nè i rettori di chiese. Avviene così che si perde di vista lo scopo precipuo delle feste, che deve essere eminentemente religioso, si sciupano somme ingenti, le quali potrebbero essere impiegate più utilmente per eventuali restauri di chiese, rifornimenti di sacra suppellettile, per sussidiare le varie opere di beneficenza esistenti nella parrocchia.

Abusionum consectaria.

Questa S. C. del Concilio non può non rendersi conto della gravità della cosa, e perciò, volendo intervenire affinchè gli abusi denunziati non si allarghino e si perpetuino, invita i Rev.mi Ordinarii:

a) a richiamare l'attenzione del loro Clero e di tutti i buoni cristiani sulle precise disposizioni dei canoni 1247, 1293,

---

praesertim in sic dictis festivis celebrationibus quibus sollemnitates religiosae occasionem dare solent.

Ad hanc S. Congregationem Concilii relatum est non raro accidere ut laici exercendae religionis parum vel nullatenus studiosi, sine ulla conventione cum parochis vel rectoribus ecclesiarum, et sine ulla approbatione auctoritatis dioecesanae, arbitrio suo componunt comitatus et commissiones, et assumpto titulo procuratorum vel *magistrorum festi*, collectas faciunt quarum nullam rationem dant, et sine ullo respectu calendarii ecclesiastici, determinant et transferunt dies festorum patronalium, pactiones contrahunt de ornamentis ecclesiae, processionibus praefiniunt *horas* et *itinera*, contionatores invitant, etc. nullatenus consultis parochis et ecclesiarum rectoribus. Inde fit ut principalis finis festorum, qui debet eminenter religiosus esse, obliteretur, et prodigentur non modicae pecuniae, quae utilius expendi possent reparandis, ubi opus fuerit, ecclesiis, renovandae sacrae supellectili, adiuvandis variis operibus beneficentiae quae in parochia exsistant.

Haec S. Congregatio gravitatem rei non potest non percipere, et propterea, in partem eius venire volens, ne denuntiatae abusiones amplificentur et fiant perpetuae, invitat Rev.mos Ordinarios:

a) Ut clerum et omnes bonos christianos attentos reddant ad praecisa statuta can. 1247. 1293. 1294. 1295. 1341 et 1503 Codicis, quibus haec res regitur.

1294, 1295, 1341 e 1503 del Codice Canonico, che regolano siffatta materia;

Remedia proposita.

b) ad esortare il Clero a riprendere con la necessaria prudenza non solo la iniziativa, ma anche la direzione delle feste religiose, procurando di rivendicare la completa indipendenza da elementi incompetenti nello svolgimento delle funzioni religiose, nell'ambito del luogo sacro e delle processioni che si svolgono fuori delle chiese;

c) a formulare essi stessi speciali regolamenti per disciplinare sia la costituzione e l'azione delle così dette *commissioni di feste*, sia il decoroso e devoto andamento delle processioni, abolendo tutti gli abusi tante volte lamentati, ed invigilare perchè tali regolamenti siano osservati.

Relatio reddenda ad S. C.

Prego pertanto la S. V. Rev.ma di voler prendere a cuore un argomento di tanta importanza e di rivolgervi tutta la Sua cura, riferendomi poi a fin d'anno, e precisamente entro il dicembre 1927, il risultato dell'opera Sua.

ANNOTATIONES

Quamvis litterae istae ad solos Italiae Ordinarios scriptae sint, earum argumentum etiam alibi utile esse potest ubi similes excessus timendi sunt. Quamvis ex solo considerationis defectu seu vanitate, sine alia malitia, committi possint, varia tamen ratione licuit nostra aetate observare ementito colore adulteratas institutiones seu varios ovinis pellibus indutos lupos. Ita sectae massonicae non nullis confraternitatibus dominari coeperunt; ita iidem homines necessitatem auctoritatis et inoboedientiam praedicarunt, vel

---

b) Ut clerum hortentur ad resumendam cum debita prudentia non solum institutionem sed etiam moderationem festorum religiosorum, se prorsus liberos vindicando a personis quae in explicatione functionum religiosarum in locis sacris, et processionum extra ecclesiam sunt incompetentes.

c) Ut ipsi, peculiaribus ordinationibus regulent tum constitutionem et actionem sic dictarum commissionum festivarum, tum decorem et devotionem processionum, supprimendo abusiones tam saepe deploratas, et vigilando ut huiusmodi ordinationes observentur.

Interea rogo Ampl. tuam Rev.mam ut argumentum tanti momenti ex animo amplectatur et omni sollicitudine curet, ac dein sub finem anni, i. e. in mense decembri 1927, effectus operae suae ad me referat.

integritate ut aiebant, principiorum propriam indocilitatem excusabant.

Celebris in Italia est epistola pastoralis Episcopi Theanensis, Calogeri Licata, contra abusiones festorum popularium ante quattuor annos scripta.

32. — S. C. de Religiosis

Litterae 18 febr. 1927

DE PROMOVENDO CANTU GREGORIANO PER INSTITUTA RELIGIOSA (1)

Ill.mo e Rev.mo Signore (2).

Laudato Ill. praeside societatis, et

È nota (3) a questa S. Congregazione la lodevole premura con cui la S. V. Ill.ma e Rev.ma, quale Presidente dell'Associazione Ceciliana, si adopera a diffondere in Italia la conoscenza e la conveniente esecuzione del canto gregoriano, sviluppandone una più larga pratica.

demonstrato momento cantus Gregoriani,

Non è qui il caso di rilevare la grande importanza che ciò ha per il maggiore decoro del culto, e per la stessa formazione religiosa dell'anima del nostro popolo. Basta ricordare gl'incitamenti, per riferirci ai più recenti, che hanno dato i Sommi Pontefici Pio X di s. m. e Pio XI gloriosamente regnante a favore di questo canto, che ha origini sì nobili, ed è come la voce della Chiesa per cantare le glorie di Dio ed elevare a Lui le anime dei fedeli.

---

(1) Ex *Bollettino Ceciliano*, 1927, p. 40.

(2) Ill.mo e Rev.mo Mons. Vescovo di Vicenza, Presidente dell'Associazione Ceciliana.

(3) *I. e. latine:* Haec S. Congregatio novit qua laudabili sollicitudine Amplitudo tua Ill.ma et Reverend.ma, qua Praeses Societatis Cecilianae studeat diffundendae in Italia scientiae et congruae effectioni cantus gregoriani, amplificando eius usum.

Huc non pertinet efferre quantum id contribuat ad maius decus cultus, et ipsam conformationem religiosam animae populi nostri. Ut recentiora appellemus, satis est memorare impulsus quos SS. Pontifices Pius X et Pius XI gloriose regnans dederint isti cantui, cuius origines tam nobiles sunt, et cuius vox est quasi vox Ecclesiae ad celebrandas glorias Dei et erigendas ad Ipsum animas fidelium.

S. Cong. commendat Ordinibus et Institutis religiosis ut societatem Cecilianam adiuvent.

Questa S. Congregazione quindi assai di buon grado raccomanda agli Ordini ed agli Istituti tutti religiosi di assecondare i santi intendimenti dell'Associazione Ceciliana per la diffusione e la pratica del canto gregoriano.

Quamnam operam praestare queant.

La loro cooperazione potrebbe in particolare riassumersi in questi punti:

1) Migliorare le esecuzioni corali, uniformandole al Codice Vaticano.

2) Insegnare il canto Gregoriano negli Studentati, probandati e Noviziati, esigendone buona esecuzione e preferendolo al canto figurato.

3) Fare eseguire le modulazioni gregoriane nelle Messe cantate, nei Vesperi e nelle altre pratiche devote, nei numerosi Collegi, Scuole, Ricreatori tanto maschili che femminili tenuti da Istituti religiosi.

Optata S. Pontificis.

Tuttociò è ben conforme al pensiero ed al desiderio del S. Padre, che ancora una volta si degnava esprimerlo a me sottoscritto Cardinale Prefetto della S. Congregazione dei Religiosi, nella udienza del giorno 8 febbraio.

Spes de Superioribus religiosis concepta.

Spero che tutti i Superiori religiosi vorranno rispondere con impegno a questo invito e aggiungere questo merito ai tanti dei loro rispettivi Ordini ed Istituti.

Salutatio.

Profitto volentieri di tale incontro per confermarLe i sensi della mia perfetta stima, mentre mi firmo

della S. V. Rev.ma dev.mo

C. Card. LAURENTI, *Prefetto*
Vinc. La Puma, Segret.

Quare haec S. Congregatio libentissimo animo commendat Ordinibus et omnibus Institutis religiosis studium adiuvandi sancta proposita Societatis Cecilianae pro diffusione et usu cantus gregoriani.

Eorum cooperatio haec praecipere praestare possit:

1. Ut choralis cantus melior evadat, eum Codici Vaticano aptando.

2. Ut cantus Gregorianus doceatur in domibus studiorum, probationum et noviciatus, exigendo ut bene conficiatur, eumque cantui figurato praeferendo.

3. Ut modulationes gregorianae audiantur in missis cantatis, in Vesperis aliisque devotis exsercitationibus in multis collegiis, scholis, recreatoriis tam masculinis quam femineis quae religiosis Institutis reguntur.

Haec omnia bene congruunt cum mente et optatis SS. Patris, qui, in audientia 8 februarii, mihi infrascripto Cardinali Praefecto S. C. de Religiosis, id denuo exprimere dignabatur.

Spero fore ut omnes Superiores religiosi huic invitationi sedulo obsequi velint, ac novo isto merito augere tam multa uniuscuiusque Ordinis et Instituti bene facta.

Libens hanc occasionem arripio confirmandi Tibi sensus perfectae aestimationis dum subscribo,

Eccell. V.ae R.ae, devotissimus

Annotatio

Quamvis, ut iam ex ipsa adhibita lingua conici potest, litterae istae pro sola Italia sint conscriptae, normas continent quibus Instituta religiosa edocentur quomodo ad mentem S. Sedis cantum gregorianum fovere possint. Ideoque easdem hoc loco ponere visum est.

33. — Sacra Romana Rota

Sententia definitiva 11 ap. 1927

WESTMONASTERIEN. NULLITATIS MATRIMONII (MARCONI-O'BRIEN)
(A. A. S., 2. iun. 1927, XIX, 217.)

Iudices et Partes.

Pio PP. XI, feliciter regnante, Pontificatus Dominationis Suae anno sexto, die 11 Aprilis 1927, RR. PP. DD. Iulius Grazioli, Ponens, *Franciscus Parrillo et Franciscus Solieri, Auditores de turno, in causa* Westmonasterien. — *Nullitatis Matrimonii — inter d.num* Guilelmum Marconi, *actorem in causa, repraesentatum per legitimum suum procuratorem Nazarenum Ferrata advocatum, et d.nam* Beatricem O'Brien, *ream conventam, interveniente et disceptante in causa Rev. D. Iosepho Trezzi, vinculi Defensore ex officio, sequentem in gradu appellationis tulerunt definitivam sententiam.*

Matrimonii de quo agitur fata.

Guilelmus Marconi, actor in causa, senatoria dignitate in Italico Regno fulgens, at longe magis ubique notus ob suas in scientia radiotelegraphica inventiones, cum, desinente anno 1903, in insula cui vulgo nomen *Brownsea Dorset* commoraretur, primum d.nam Beatricem O'Brien ream conventam obviam habuit, eiusque amore captus statim adeo est ut eam in uxorem petierit. Restitit tamen tunc eius votis puella, « perchè » - prout ipsa ait - « non sentiva di amarlo abbastanza ».

Verum cum insequenti anno iterum eamdem in insulam tum Guilelmus tum Beatrix convenissent, ac rursus idem Guilelmus in sua petitione institisset, voti compos tandem factus est.

Sponsalibus itaque initis, die 16 Martii anno 1905, matrimonium coram ministello anglicano in ecclesia S. Georgii, Londini, celebratum fuit. Licet enim in Italia ex patre catholico natus et in catholica religione baptizatus, Guilelmus tamen, utpote qui a matre educatus fuerat natione et religione anglicana, anglicanismo de facto adhaerebat.

Coniuges, etsi nec continue nec semper ea animi concordia qua sponsos decet, ad annum usque 1918 una simul convixerunt. Tunc de communi vita pertaesi ab invicem discesserunt; cumque interim insuper Beatrix alteri adhaesisset viro, occasionem exinde nactus est Guilelmus ad divortium petendum. Hoc a Fluminensibus iudicibus sententia diei 12 Februarii anno 1924 declarato, Guilelmus supplicem ad E.mum Archiepiscopum Westmonasteriensem dedit libellum, quo illum exoravit ut causam de nullitate sui coniugii institueret, ad hoc ut, si vellet, novum coram catholica Ecclesia inire ipse posset matrimonium.

Sciendum namque est, sicuti ab initio Beatrici, ita etiam postea eiusdem propinquis, matri praesertim, haud valde gratum matrimonium accidisse inter eamdem Beatricem et Guilelmum. Videbatur namque Beatricis matri filia non adeo vehementer Guilelmum diligere ut cum eo per totam vitam feliciter convivere posset. Accedebat de viro in casu agi ex aliena natione et insuper in catholica Ecclesia baptizato; quare non prius in matrimonium consensit, quam Guilelmus spopondisset obstiturum ipsum non fore quominus ad divortium recursus haberetur, si matrimonium infaustum habuisset exitum. Hac itaque sub conditione *sine qua non,* quam et Beatrix acceptavit, ideoque hoc sub pacto, nuptiae celebratae fuerunt.

Guilelmus, igitur, hisce innixus, suum cum Beatrice matrimonium apud Westmonasteriensem Curiam nullitatis accusavit ex defectu consensus ob conditionem appositam contra matrimonii substantiam.

Sententia 1.ae instantiae. Appellatio.

Processu instituto, die 27 Octobris anno proxime elapso, seu 1926, sententia prodiit, qua de matrimonii nullitate constare declaratum est. Ab hac sententia, prout de iure, Westmonasteriensis ligaminis Adsertor ad nostrum sacrum Auditorium appellavit. Causa proinde iterum hodie proponitur — postquam ad Defensoris vinculi instantiam auditi rursus fuerunt tum actor, tum rea conventa, — sub consueta dubitandi formula: « *An constet de matrimonii nullitate, in casu* ».

Disceptatio iuridica.

In iure. — « Matrimonium facit partium consensus inter personas iure habiles legitime manifestatus, qui nulla humana

Consensus necessitas;

potestate suppleri potest »: ita can. 1081 § 1. At non quovis modo assentire coniuges in matrimonium possunt, sed solummodo secundum eiusdem matrimonii naturam. Quare licet eorumdem coniugum consensus semper praesumatur conformis verbis vel signis in celebrando matrimonio adhibitis, uti docet can. 1086 § 1, tamen — prosequitur idem hic canon § 2 — « Si alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum, aut omne ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem, invalide contrahit ».

vitia.

Etiam namque in matrimonio simulatio locum habere potest, quae aut totalis erit aut partialis, prout in eodem matrimonio contrahendo, aut matrimonium ipsum respuatur, aut unum ex illis quae vocantur matrimonii bona. Tria autem haec numerantur: bonum prolis, bonum fidei et bonum sacramenti. Primum illud finem primarium respicit matrimonii, cetera duo eiusdem proprietates seu unitatem et perpetuitatem vel indissolubilitatem. Quoniam vero in quolibet contractu, contractus ipse discerni potest ab obligationibus quae ex eo derivant, et hae ab earum adimplemento, fieri potest ut qui simulate contrahit, reiiciat interne aut contractum ipsum, aut eiusdem obligationes, aut harum adimplementum. Iamvero, iuxta omnes Doctores, in tertia hac hypothesi contractus valet, non vero in ceteris duabus. Equidem, uti merito animadvertit E.mus D'Annibale, *Summula Theol. Moral.*, II, n. 412: « Quid est contrahere nisi obligationem inire? Itaque et is qui contrahere non vult, et is qui non vult obligari, non contrahit, non obligatur; decipit, et ad damnum dumtaxat sarciendum tenetur ».

Distinctio obligationum et earum adimplementi;

Patet, igitur, ex his curnam in relato supra canone 1086 edicatur, tunc tantum coniugium invalidum esse cum « alterutra vel utraque pars positivo voluntatis actu excludat matrimonium ipsum aut *omne* ius ad coniugalem actum, vel essentialem aliquam matrimonii proprietatem ». Haec enim adamussim significant ad invalide contrahendum coniuges excludere debere aut matrimonium ipsum, aut obligationes quae ex eo derivant uti tales, non tantum earum adimplementum.

quae non habet locum in indissolubilitate.

Sedulo tamen animadvertendum est, non omnes obligationes quae ex matrimoniali contractu oriuntur, seu melius, non omnia eius bona eiusdem esse naturae, ita ut in ipsis obligatio ab eius adimplemento secerni queat, seu ius ab eius usu. In indissolubilitate namque, seu in bono sacramenti, enunciata distinctio locum non habet. Audiatur ad rem Divus Thomas qui, *Summ.*

Theolog. Supplem., q. 49, art. 3, investigans utrum sacramentum sit principalius inter matrimonii bona, haec habet: « Aliquid dicitur in re aliqua principalius altero duobus modis, aut quia est essentialius, aut quia dignius. Si autem dicatur principalius, quia essentialius, sic distinguendum est, quia fides et proles possunt dupliciter considerari: uno modo in se ipsis, et sic pertinent ad usum matrimonii, per quem et proles producitur et pactio coniugalis servatur. Sed indissolubilitas, quam sacramentum importat, pertinet ad ipsum matrimonium secundum se; quia ex hoc ipso quod per pactionem coniugalem sui potestatem sibi invicem in perpetuum coniuges tradunt, sequitur quod separari nequeunt, et inde est quod matrimonium nunquam invenitur sine inseparabilitate, invenitur autem sine fide et prole, quia esse rei non pendet ab eius usu. Et secundum hoc sacramentum essentialius est in matrimonio quam fides et proles. Alio modo possunt considerari fides et proles secundum quod sunt in suis principiis, ut pro prole accipiatur intentio prolis, et pro fide debitum servandi fidem.... et sic accipiendo fidem et prolem, constat quod proles est essentialissimum in matrimonio et secundo fides et tertio sacramentum ».

Conclusio de nullitate matrimonii ob exclusam perpetuitatem, prolem, fidem.

Consequitur, quoties de alicuius matrimonii validitate quaestio fiat ob vinculi perpetuitatis exclusionem, ad matrimonium ipsum dirimendum sufficere quod constet eamdem vinculi perpetuitatem fuisse positivo voluntatis actu exclusam, quin aliud investigetur.

Idem tamen accidit de bono quoque prolis et de bono fidei, quoties haec bona, non simplici positivo voluntatis actu fuerint exclusa, sed vel conditione *sine qua non* hac de re matrimoniali consensui adiecta, vel pacto eadem de re inter coniuges inito. Tunc enim si de hisce ex actis constet, iam censetur non obligationis adimplementum fuisse exclusum, sed obligationem in se ipsa. Hinc in Codice I. C. canone 1092 absolute statuitur: « Conditio semel apposita et non revocata... si de futuro contra matrimonii substantiam, illud reddit invalidum ». Cfr. c. fin. *De cond. appos.*, 4, X; LEHMKUHL, *Theol. mor.*, vol. II (ed. 1910), n. 879, 3°.

Disceptatio facti. Manifesta pactio recurrendi ad divortium.

Quid dixerit actor.

Quid rea conventa.

In facto. — Ex actis causae adeo clare patet matrimonium in casu cum voluntate, imo cum pacto inter coniuges inito, recurrendi ad divortium, si res bene non cederet, fuisse initum, ut id nec ipse vinculi Defensor absolute denegare ausus sit. Audiatur sane in primis Actor: « Pendant le temps des fian- « çailles, je commençai à avoir des doutes graves si le mariage « proposé aurait pour résultat d'être un mariage heureux, pour

« la raison que je me sentais douteux si Miss O' Brien tenait « à moi suffisamment. Je lui exprimai mes vues et mes senti- « ments, et elle aussi confirma qu'elle n'était pas tout à fait « sûre d'elle-même par rapport à ses sentiments envers moi. « Toutefois je lui déclarai que dans la malheureuse éventualité « où le mariage ne serait pas heureux, nous pourrions recou- « rir à un procès de divorce, et elle convint avec moi par rap- « port à cette mesure possible. Le sujet troubla mon esprit « beaucoup à ce moment, et je me rappelle l'avoir mentionné « à ma mère, morte depuis, à un ami intime et à quelques-uns « de mes parents. Je mentionnai aussi le fait à la mère, alors « en vie, de Miss O' Brien, et je crois que Miss O'Brien le « mentionna à quelques-uns de ses proches. Le souvenir de « ce qui eut lieu entre nous à cette époque me laisse plutôt « l'impression que sa mère pensait que si nous embrassions « un mariage indissoluble comme le mariage est dans l'Église « catholique Romaine, elle n'aurait pas consenti à ce mariage, « ni l'aurait approuvé ».

Pluries idem repetit Guilelmus sive in primo suo interrogatorio in responsionibus ad quaestiones V et VI, sive in suppletiva inquisitione, heic Romae instituta, in qua ex officio de re rogatus, respondit: « La riserva da me fatta di usare della « legge del divorzio non fu una idea vaga, ma fu un proposito « serio e positivo della mia volontà. Ricordo che espressi a « mia moglie il proposito di ricorrere al divorzio, nel caso « che il nostro matrimonio non fosse risultato felice; mia mo- « glie accettò completamente, cosicchè il matrimonio fu con- « tratto con questa convenzione o reciproca intesa ».

Etsi non eadem perspicuitate, praesertim in prima sua depositione, coram Spoletana curia, eadem tamen affirmavit Beatrix. Fassa namque est et ipsa revera propositas cum Guilelmo nuptias nec sibi nec suis valde acceptas accidisse, adeo ut de hoc etiam fuerit cogitatum, num sponsalia essent vel non dirumpenda. Fassa pariter est hanc rerum conditionem Guilelmum non latuisse, qui proinde Beatricis matri declarare debuit nil sua ex parte obstare quominus divortii lege uteretur si unius vitae consortium impossibile tractu temporis evaderet. En Beatricis verba: « La mia famiglia e specialmente mia madre si « opposero assai a questo mio matrimonio per ragioni di na- « zionalità e perchè sembrava combinato senza troppa rifles- « sione. Non restituii l'anello di fidanzamento, come volevano « i miei, perchè insisteva nel mio proposito, e perchè sentiva « di volergli molto bene, quanto mi pareva bastasse per unirmi

« in matrimonio con esso, benchè non fossi pienamente inna-
« morata di lui. Ed il signor Marconi era al corrente di questi
« miei sentimenti e di queste mie disposizioni. In famiglia si
« parlò fin d'allora della possibilità di un nostro divorzio,
« attese le preoccupazioni che destavano i matrimoni infelice-
« mente riusciti di altri miei parenti. Però io pensavo che il
« matrimonio non sarebbe stato spezzato, altrimenti non l'avrei
« fatto... Il Marconi dovette assicurare mia madre che in un
« eventuale contrasto tra lui e me egli avrebbe acceduto al
« divorzio, secondo la legge e la confessione anglicana. E ciò
« egli fece anche per proprio convincimento, in quanto profes-
« sava anche esso la fede protestante, perchè educato dalla
« madre protestante, benchè battezzato in Italia, secondo il
« rito cattolico, perchè nato da padre cattolico... Concludo
« che tanto io quanto, penso, il sig. Marconi, facemmo il no-
« stro matrimonio secondo le disposizioni della legge e della
« confessione anglicana, la quale ammette il divorzio, benchè
« in quel momento non si pensasse a divorziare ».

Non fuit error mere speculativus de dissolubilitate matrimonii.

Quae tamen haud de simplici errore theoretico circa matrimonii dissolubilitatem, absque ullo in voluntatem influxu intelligenda sunt. Prosequitur namque eadem Beatrix, reponens ad insequentem iudicis quaestionem : « Eravamo ambedue con-
« vinti della possibilità di divorziare, come ho detto di sopra; ma
« il signor Marconi dovette assicurare mia madre che non
« avrebbe posto ostacolo a una mia eventuale richiesta di di-
« vorzio. Questa fu l'unica intesa che intercedette tra il signor
« Marconi e la mia famiglia. E la conobbero alcuni miei fra-
« telli e cioè Donough, Clare, Moira Barney ». Beatrix itaque utitur verbo « intesa » ad illud significandum de quo matrem suam inter et Guilelmum, tunc temporis, seu ante matrimonii celebrationem, actum fuerat. Quod si affirmat, praeter hanc non aliam exstitisse conventionem, addit tamen huius obiectum fuisse quod Guilelmus « non avrebbe posto ostacolo a una « eventuale richiesta di divorzio » ipsius Beatricis, et insuper quod sive ipsa, sive Guilelmus suasi erant « della possibilità « di divorziare », ex quibus necessario consequitur de hac possibilitate actum quoque fuisse inter ipsos sponsos.

At si qua dubia de reae conventae mente haberi poterant ob ea quae quandoque etiam incohaerenter in prima sua depositione affirmaverat, haec sublata omnino sunt postquam iterum ex officio interrogata ipsa fuit. In altero enim suo interrogatorio Beatrix non modo rursus recoluit matrimonium cum Guilelmo ab ipsa initum, haud fuisse matri suae acceptum,

« sia perchè era uno straniero, cioè italiano, sia perchè riteneva « che io non era abbastanza innamorata di lui », sed haec quoque addidit: « Perciò mia madre permise il matrimonio con la « condizione accettata dall'on. Marconi di valersi del divorzio, « se, celebrato il matrimonio, le cose non andassero bene. Nè « solamente per tranquillizzare mia madre si volle che egli « dichiarasse di ricorrere al divorzio, ma anche per tranquil- « lizzare me, onde ne parlai anche io col mio fidanzato ».

Quare requisita de natura et terminis conventionis reposuit: « Io non ricordo i termini precisi con i quali si convenne « tra me e il mio fidanzato e fra questi e mia madre, di di- « vorziare, se il matrimonio fosse stato infelice. Certo una « intesa vi fu tra me e l'on. Marconi, e fra questi e mia madre, « e questa intesa non fu vaga, come si sarebbe potuto fare per « qualunque altro matrimonio, in base appunto agli usi e co- « stumi inglesi; ma fu determinata dalle circostanze speciali « del caso, trattandosi di un italiano battezzato cattolicamente, « e che quindi poteva essere contrario al divorzio. Tanto è « vero che mia madre non ha preteso un'analoga dichiarazione « dai fidanzati delle altre mie sorelle, appunto perchè inglesi « e protestanti... Certo, trattandosi di un'intesa fu anche da « me accettata ».

Cum autem obiecta fuerint reae conventae, quae in priori sua depositione affirmaverat, nempe: « Il sig. Marconi ed io « escludevamo nell'atto di sposarci la possibilità che un giorno « ci saremmo divisi », ita horum verborum sensum declaravit: « Il senso delle mie parole è questo, che nè io, nè, a quanto « credo, il sig. Marconi, abbiamo celebrato il matrimonio con « la volontà già decisa di farlo e poi di divorziare, chè questo « sarebbe stato ridicolo; ma con la riserva o intesa di ricorrere « realmente al divorzio se fosse stato necessario ». Et revera in eadem priori Beatricis depositione, post relata supra verba, de quibus peculiariter interrogata ipsa fuit in suppletiva inquisitione, haec alia, uti iam supra visum est, ab eadem Beatrice prolata leguntur: « eravamo ambedue convinti della possibilità « di divorziare ». Beatrix itaque actori non refragatur.

Quid testes confirmarint.

At, quod sane maximi momenti est, eidem Actori suffragantur testes omnes, ii in primis qui Beatricis sunt propinqui. « Cela fut ainsi. Il y eut une intention, laquelle je comprends « fut un accord verbal. Je le sais de cette manière. J'étais le « fils aîné de ma mère, demeurant dans la maison avec ma « sœur. Ma mère me dit qu'elle était anxieuse au sujet du « mariage proposé, que sa fille lui avait dit qu'elle n'était pas

« sûre d'elle même quant au bonheur du futur mariage, s'il « avait lieu. Je dis à ma mère que ma sœur pouvait se pré- « valoir d'obtenir un divorce si cela devenait nécessaire, même « quoique elle mariait un étranger. Ma mère me parla à moi, « je crois, sur ce point, parce qu'elle savait que j'étais avocat « et que j'étais censé être correct sur ce point... A une date « subséquente avant le mariage, elle me dit que sa fille lui avait « dit qu'elle avait arrangé avec M. Marconi qu'ils demande- « raient le divorce, si le mariage devenait une affaire manquée ». Ita D.nus Donough O' Brien, Beatricis frater natu maior, qui deinde addit idem sibi a sorore ante matrimonium manifestatum fuisse.

Nec aliter Beatricis soror Lady Moira Bathurst: « J'ai pré- « senté M. Marconi à ma sœur — ita testis — et elle l'aimait, « mais n'en était pas éprise, tandis que lui était épris d'elle. « Il mentionna à moi, une ou deux fois, cette intention d'avoir « un divorce si le mariage n'était pas heureux: ce qui était « possible dans notre Église... Ma sœur le mentionna aussi à « moi. Ma mère n'aurait jamais permis le mariage si elle avait « pensé qu'il était irrévocable en cas que ce ne fût pas un « succès. L'entente fut après qu'ils furent fiancés ».

Consonant testes ex parte Actoris, ac praesertim Marchio Aloysius Solari, qui testatur: « Je me rappelle que M. Marconi « m'a dit qu'il avait un accord avec sa fiancée, qu'au cas où « le mariage ne fût pas heureux il serait divorcé... Il me dit « cela avant le mariage, quand il était fiancé, je ne me rap- « pelle pas la date exactement ».

Pactio non fuit revocata.

Quod igitur Guilelmus ante matrimonii celebrationem sive cum Beatrice, sive cum huius matre convenerit de matrimonio dissolvendo si necessarium foret, in dubium revocari nequit. Verum id non sufficit ut exinde concludatur matrimonium in casu esse nullum. Pactum enim, vel conditionem antea appositam de coniugio dissolvendo potuerunt coniuges deinde revocare, aut in ipsa matrimonii celebratione, aut etiam postea. Tria namque sedulo in casu prae oculis habenda sunt: et matrimonium Guilelmum inter et Beatricem fuisse iuxta anglicanum ritum celebratum, in quo coniuges formulam perlegunt, cuius vi explicite mutuo sibi fidem ad mortem usque promittunt; et matrimonii ipsius celebrationem Londini evenisse, ubi Tridentina lex de forma substantiali in matrimonio adhibenda nunquam fuit promulgata; et anno 1905, quando nec Decretum « Ne temere » editum adhuc fuerat. Potuissent igitur coniuges pactum revocare, et deinde matrimonium ratum habere, prout

ipsos fecisse contendit reapse vinculi Defensor. Inquirendum proinde ulterius est num de revocatione ex actis constet; revocatio enim est factum, et facta non praesumuntur sed probantur. Ita Commissio specialis EE. PP. in Versalien. *Nullitatis Matrimonii*, die 2 Augusti 1918 (cfr. *Acta Apostolicae Sedis*, vol. X, pag. 389).

in celebratione nonobstante formula quae perpetuitatem sonat,

Iamvero certe inita conventio revocata non fuit in actu celebrationis matrimonii. Qua super re merito in primis animadvertit actoris patronus: praesumptionem de revocatione conditionis vel pacti, quod coniuges inter se inierint contra matrimonii substantiam urgeri magis posse in matrimonio catholico, quam in protestantico. Dum enim protestantes vel de iure, vel saltem de facto, divortium admittunt, illud catholica Ecclesia reiicit omnino. Nihilominus, uti in iuris expositione dictum est, ea matrimonia iuxta sacros canones declarantur nulla, quae licet catholico ritu celebrata, fuerint inita cum conditione praeambula vel pacto de exclusione unius vel alterius e matrimonii bonis. — Neque obstat quod in Ecclesia anglicana coniuges dum matrimonium celebrant, formulam perlegere debeant, iuxta quam ad mortem usque mutuam sibi fidem promittunt. Siquidem de ritu agitur vel caeremonia, quam non sponte, sed necessario coniuges peragere debent, et cui insuper ipsa anglicanae Ecclesiae praxis contradicit, dum novis eorum nuptiis benedicit, qui divortii lege usi sunt.

Sed insuper positive constat, non obstante formula contraria, noluisse coniuges in casu ea revocare de quibus antea inter se convenerant. Ipsamet namque Beatrix, etsi asseruerit se matrimonium celebrasse cum intentione « di rimanere con mio marito per tutta la vita », ac etiam studuisse ut ita de facto esset, addidit tamen: « non ostante però la mia disposizione di vivere con mio marito per sempre, non ho disdetta « nè ritirata l'intesa che precedentemente aveva con lui avuto, « di ricorrere al divorzio se la convivenza fosse risultata « assolutamente impossibile ».

Nec aliter Guilelmus, qui, quae iam in priori suo interrogatorio testatus fuerat, magis adhuc declarans, in suppletiva inquisitione ait: « Io sapeva anche prima di celebrare il ma« trimonio la formula della celebrazione stessa in uso presso « la Chiesa anglicana. Veramente io avrei voluto evitare la « celebrazione del matrimonio religioso, o per lo meno di « pronunciare la formola rituale prescritta; ma l'una e l'altra « cosa era praticamente impossibile: quindi mi decisi di an« dare oltre, per la considerazione che di fatto, poi, la Chiesa

« anglicana tollera il divorzio e benedice le nuove nozze dei « divorziati. La formula quindi usata dalla Chiesa anglicana « circa l'indissolubilità del matrimonio, come circa altre cose, « ha un valore di fatto più rituale che impegnativo in senso « assoluto; pertanto io mantenni nella mia mente il proposito « di ricorrere nel caso alla legge del divorzio, ed in questo « senso pronunciai la formula ».

Porro decisio habetur S. C. S. Officii, quae casui de quo agitur apprime quadrat. Re quidem vera cum a Calvinistis in nuptiali celebratione formula adhiberi soleat, qua coniuges in vinculum perpetuum consentiunt donec unus alterque in fidelitate permanserit, cumque idcirco die 28 maii 1754 definitum a S. C. S. Officii fuerit invalidum esse eorum matrimonium, quaesitum ab eadem S. C. fuit quid sentiendum de matrimonio catholicorum, si, non obstante formula a Calvinistis adhibita, intendant bona fide contrahere in sensu Ecclesiae. Et S. C. die 22 Maii anno 1840, reposuit: « In casu prout exponitur: *Affirmative,* seu matrimonium inter duos catholicos, qui in sensu Ecclesiae contrahant, interveniente declaratione contrahentium est validum et indissolubile ». Patet igitur ex formula quae adhibeatur in celebratione nuptiali, coram ministello protestantico, deduci per se non posse revocatam fuisse praecedentem contrahentium intentionem, quae fuerit formulae eidem contraria.

Sed neque serius coniuges, quousque perduravit vita coniugalis, pactum revocarunt quod antea pepigerant. Defuit enim ipsis occasio id peragendi et consequenter ratum habendi matrimonium, sive quia anceps semper Guilelmus fuit num revera illum Beatrix adamaret, adeo ut iam septem post annos ab initis nuptiis, anno nempe 1912, de introducenda causa divortii cogitaverit; sive quia nonnisi post separationem resciverunt ambo coniuges, Beatrix imo occasione processus ecclesiastici, eorum matrimonium esse nullum. De quo sane nemo mirabitur. Id enim ignorant fere semper et catholici, licet apprime sciant matrimonium esse indissolubile, eo magis proinde admitti debet de coniugibus in haeresi educatis, qui etiam theoretice existimant matrimonium dissolvi posse. Quare fidem adhiberi potest Beatrici asserenti: « Aggiungo che, data « la mia mentalità per l'educazione avuta di protestante, non « diedi io alla riserva fatta di ricorrere al divorzio, tutta quella « importanza che aveva in se stessa ed avrebbe avuto per un « cattolico »; etsi fuit adamussim ipsa, prouti eius fratres et sorores testantur, quae suis declarationibus, vel potius anxie-

vel postea.

tatibus, num felicitatem in matrimonio cum Guilelmo esset assecutura, conventionem provocavit de coniugio dissolvendo. Atqui planum est, ne concipi quidem posse quod quis ratum habeat illud, de cuius exsistentia vel validitate nullimode dubitat, cum nil magis consensui contrarium sit quam error. SANCHEZ, *De Matrim.*, lib. IV, disp. 18, n. 5.

Suffragatio testium.

Testes vero omnes et coniuges fide dignos praedicant, et eorum dicta confirmant, non modo quoad conventionem contra matrimonium initam, de divortio petendo si necesse fuerit, prouti supra visum est, sed etiam quoad huius conventionis persistentiam, seu non revocationem.

Removentur obiecta a Defensore vinculi.

Vinculi Defensor, cum nec conventionis exsistentiam inter coniuges initae de matrimonio dissolvendo denegare posset, nec coniugum ignorantiam de matrimonii nullitate, ut aliquo modo vinculum tueretur, recursum habuit ad hypotheses quae carent fundamento. Supponit enim matrimonium fuisse in casu contractum sub conditione suspensiva, quae tractu temporis purificari potuit, sub conditione nempe de coniugum felicitate, in matrimonio obtinenda. Merito tamen animadvertit actoris patronus, adiectam legem « si le mariage n'était pas heureux » haud conditionem significasse, sub qua consensus in matrimonium praestitus fuit, sed causam ob quam inita inter coniuges conventio fuerat, quaeque proinde eiusdem conventionis exsecutionem determinare debebat. Quare in casu consensus in matrimonium haud remansit in suspenso, ut purus evaderet, purificata conditione, sed fuit inde ab initio vitiatus, seu potius nullus.

Incassum pariter vinculi Defensor ea iuris principia casui aptanda censuit, quae, ante decreti « Ne temere » promulgationem, de matrimoniis vigebant, quae in locis, in quibus caput « Tametsi » Concilii Trid. non erat publicatum, cum impedimento metus fuerint contracta. Haec sane matrimonia, cessante impedimento, seu purgato metu, revalidari poterant per copulam affectu coniugali habitam, et per diuturnam cohabitationem pacificam et tranquillam, dummodo pars metum passa certo sciverit primum matrimonium fuisse nullum, et altera pars interim suum consensum de facto non revocaverit. Siquidem contraria prorsus sunt in uno et altero casu rerum adiuncta. Matrimonia namque nulla ex causa metus in locis capiti « Tametsi » Conc. Trid. non subiectis, revalidabantur cum coniuges pacifice cohabitare incipiebant, dum contra, cum matrimonium nullum est ex defectu consensus ob adiectum pactum de illo dissolvendo in hypothesi infelicitatis, tunc

tantum revalidari posset cum adiecti pacti exsecutio urgeret, seu cum coniuges non amplius sunt felices: at tunc adamussim conditiones desunt ex quibus praesumere datum est, coniuges ab inito pacto recessisse, etiamsi copulam inter se habeant.

Simul defuit scientia nullitatis et consensus renovatio.

Ceterum in casu, prouti visum est, quaevis defuit ex parte coniugum consensus renovatio, sicuti defuit in ipsis scientia de nullitate initi coniugii, ex qua una ipsa consensus renovatio initium et vim sumere poterat. Gasparri, *De matrim.*, [3] n. 1397; Schmalzgr. in l. IV, tit. I, *De sponsal.*, n. 421.

Quibus omnibus in iure et in facto perpensis, Nos infrascripti Auditores de turno, pro tribunali sedentes, et solum Deum prae oculis habentes, Christi nomine invocato, decernimus, declaramus et definitive sententiamus, ad propositum dubium respondentes: « Affirmative », seu « constare de matrimonii nullitate ». Statuimus praeterea expensas omnes iudiciales ab Actore esse solvendas.

Ita pronunciamus, mandantes Ordinariis locorum et ministris tribunalium, ad quos spectat, ut exsecutioni mandent hanc nostram definitivam sententiam, et adversus reluctantes procedant ad normam ss. canonum, ac praesertim lib. IV. tit. XVII et can. 1987 ss. Codicis I. C., iis adhibitis exsecutivis et coercitivis mediis, quae magis opportuna et efficacia pro rerum adiunctis existimaverint.

Datum Romae, in Sede Tribunalis S. R. Rotae, die 11 Aprilis 1927.

Iulius Grazioli, *ponens*.
Franciscus Parrillo.
Franciscus Solieri.

L. ✠ S.

Ex Cancellaria, die 30 Aprilis 1927.

Sac. T. Tani, *Notarius*.

N. B. — Pro annotationibus cf. in priore Parte dissertationem p. 94* ss.

34. — Card. Protectoris Pont. scholae musicae

Epistola 7 mart. 1927

FALSUM NUNTIUM RETUNDENS (1)

Ill.mo e Rev.mo Monsignore (2)

Epistolae occasio.

Nel giornale (3) di Salisburgo *Katholische Salzburger Kirchenzeitung* (30 dicembre 1926), fu pubblicata una notizia riprodotta poi nel periodico *Musica Sacra* di Ratisbona (febbraio 1927, pag. 52, in nota), così concepita:

Falsus Nuntius.

« I ceciliani della più stretta tendenza non resteranno forse edificati dalla notizia che il Papa ha dato ordine al prelato Refice, Rettore della Pontificia Scuola Superiore di Musica Sacra, di erigere uno speciale corso per la musica strumentale ecclesiastica, al fine di rendere possibile l'esecuzione in Roma di Messe con accompagnamento strumentale ».

S. Pontifici displicens.

Non è questa la prima notizia musicale sacra che, con mire tendenziose, vada serpeggiando qua e là. Ora debbo dichiarare che il Santo Padre è rimasto penosamente sorpreso del come si possano inventare tali cose, mentre Egli ha manifestato sempre la Sua volontà circa l'*osservanza stretta* della riforma della musica sacra in conformità alla lettera e allo spirito del memorando *Motu proprio* del Sommo Pontefice Pio X di ven. m. e dei posteriori autorevoli documenti.

---

(1) Ex *Bollettino Ceciliano,* Organo mensile dell'A. I. S. C. (Assoc. Ital. S. Cecilia) Vicenza, p. 41.

(2) Ill.mo et Rev.mo Ferdinando Rodolfi episcopo Vicentino et praesidi generali Consociationis italicae S. Caeciliae.

(3) *I. e. latine:* In ephemeride Salisburgensi « Katholische Salzburger Kirchenzeitung » (30 dec. 1926), publici iuris facta est notitia subinde resumpta in periodico libello « Musica sacra » Ratisbonensi (febr. 1927 p. 52 nota), quae sic sonat. « Ceciliani strictioris tendentiae fortasse non erunt aedificati nuntio, praelatum Refice, rectorem Pontificiae scholae superioris de Musica sacra, a Papa iussum esse ut specialem cursum pro musica instrumentali ecclesiastica institueret, eo fine ut Romae missae celebrari possent collatis vocibus ad instrumenta musica ».

Haec notitia musica et sacra non est prima quae ad intentas utilitates huc illuc circumferatur. Fateri autem debeo SS. Patrem non sine suo moerore miratum esse quo pacto talia excogitari queant, dum Ipse constanter suam voluntatem significavit strictae observantiae reformationis musicae sacrae ad normam textus et spiritus memorabilis *Motu Proprio* S. Pontificis Pii X ven. mem. et posteriorum actorum publicorum.

In conseguenza, Sua Santità mi ha commesso il preciso ordine di smentire categoricamente la notizia in tutti i suoi particolari, e di riconfermare la Sua augusta volontà come sopra espressa, deplorando che in qualche regione e paese si cerchi far rivivere nelle chiese composizioni musicali dalla sana critica riprovate.

Inde mandatum redarguendi.

Quanto alla Pontificia Scuola Superiore di Musica Sacra di Roma, di cui è Preside e Rettore il Rev.mo P. Abate Paolo Ferretti O. S. B., vi furono istituiti in quest'anno, per una più completa cultura degli alunni, alcuni particolari insegnamenti: di *musicologia* (parte paleografica, affidata al maestro Casimiri; parte storica, al maestro Dagnino); di *Lettura di Partiture strumentali di Musica sacra* (affidata al maestro Refice); di Direzione di cori, di *Canto* per l'impostazione della voce, ecc. Ma tutti e singoli gli insegnamenti, e tutta la vita della Scuola hanno ed avranno sempre il *Motu proprio* di Pio X come loro suprema norma.

Eplacatio de lectionibus Pont. Scholae annexis.

Si compiaccia la S. V. Ill.ma e Rev.ma pubblicare sul *Bollettino Ceciliano*, organo ufficiale della nostra Associazione Italiana di S. Cecilia, questa smentita.

Con ossequi mi confermo, della S. V. Ill.ma e Rev.ma

Roma, 7 marzo 1927,

dev.mo e obb.mo

GAETANO Card. BISLETI

Quocirca Sanctitas Sua mihi definitum mandatum commisit praefracte redarguendi nuntium istud in omnibus partibus suis et confirmandi augustam Eius voluntatem qualis supra expressa est, dum deplorat conamina quibus in aliqua regione et terra velint redintegrare in ecclesiis scriptiones musicas sana critica arte reprobatas.

Quod spectat Pontificiam scholam Superiorem musicae sacrae in Urbe, cuius Praeses et Rector est Rev.mus Pater Abbas Paulus Ferretti O. S. B., non nullae peculiares lectiones hoc anno in ea institutae sunt pro magis completa alumnorum eruditione: *musicologiae* (cuius pars paleographica magistro Casimiri, historica autem magistro Dagnino concredita est); *Lectionis symphoniarum instrumentalium musicae* sacrae (commissae magistro Refice), *Directionis* chororum, *Cantus* pro inclinatione vocis, etc. Verum omnibus et singulis lectionibus et omni vitae Scholae *Motu Proprio* Pii X ut earum suprema Norma praeficitur et praeficietur.

Velit Amplitudo Tua Ill.ma et Reverendissima hanc negationem publici iuris facere in *Bollettino Ceciliano*, interprete ufficiali nostrae consociationis Italicae S. Ceciliae.

Obsequiosus me iterum profiteor Amplitudinis tuae Ill.mae et Rev.mae devotissimum et addictissimum.

Romae 7 mart. 1927

GAETANUS Card. BISLETI

Annotatio

Eminentissimus Protector Consociationis Italicae S. Caeciliae et Pontificiae Scholae Superioris Musicae sacrae in Urbe, dum falsum nuntium redarguit, alterum, non minus gravem, errorem corrigit de persona Directoris scholae. Est enim cur miremur confusionem qua magister Refice exhibebatur ut Rector Scholae Pontificiae, quam tanto merito ac laude moderatur Ill. et Rev.mus Pater abbas Ferretti. *Suum cuique.*

ACTA SUMMATIM RELATA

35. — SS. D. N. Pius Pp. XI

A. Epistola 5 maii 1927, Ill. D. Martino Huberto Rutten (1) S. Pontifex gratulatur duplicem laetitiam vigesimi quinti anni sui episcopatus et sexagesimi sacerdotii. Promerita effert quae venerandus iubilatus sibi comparavit ut praefectus trium seminariorum, ut vicarius generalis et ut episcopus ecclesiae Leodiensis. Celebrat eius operositatem in aedibus sacris et collegiis multiplicandis, et in scriptis religioni diffundendae et tuendae Ecclesiae dicatis. Atque omnium vota ominibus suis cumulans, Pontifex ei concedit ut in eventu tam fausto astantibus, Ipsius nomine, benedicat cum gratia indulgentiae plenariae (*A. A. S.*, 1 iul. 1927, XIX, 251).

Epist. ad Ill. Ep. Leodiensem.

B. — Epistola 6 maii 1927, ex animo congratulatur Ill. D. Carolo Fritz, archiepiscopo Friburgensi, saecularem dioecesis constitutionem, facta potestate impertiendae sollemni die, post celebratam Missam, benedictionis Apostolicae cum indulgentiae plenaria (*A. A. S.*, 1 iul. 1927, XIX, 252).

Epist. ad Ill. Ep. Friburgensem.

C. — Brevi *De more*, 31 oct. 1925, erigitur internuntiatura apostolica pro ipsa Lettoniae republica (*A. A. S.*, 1 iul. 1927, XIX, 245).

Internuntiatura Lettoniae.

D. — Brevi *Regiones*, 31 ian. 1927, erigitur internuntiatura Apostolica pro republica Lithuana, suppressa Delegatione Apostolica (*A. A. S.*, 1 iul. 1927, XIX, 247).

Internuntiatura Lithuana.

E. — *Litterae de dioecesi Lunensi-Sarzanensi.*

Bulla *Romani Pontifices*, 25 febr. 1927, ut finem imponat singulari condicioni qua, post principalem unionem dioecesis Lunensis-Sarzanensis et Brugnatensis, Antistes ut episcopus Lunensis - Sarzanensis immediate subiciebatur S. Sedi, dum ut Brugnatensis obnoxius erat metropolitanae ecclesiae Ianuensi, S. Pontifex, suppressa exemptione, etiam dioecesim Lunensem-Sarzanensem suffraganeam fecit ecclesiae Ianuensis (*A. A. S.*, 2 iun. 1927, XIX, 201).

Dioecesis Lunensis - Sarzanensis provinciae Ianuensi addicitur.

F. — *Litterae praefecturam Apost. de Sarawak erigentes.*

Brevi *Quae rei sacrae*, 5 feb. 1927, S. Pontifex Praefecturam Apostolicam de Labuan et Borneo septemtrionali in duas Praefec-

Erigitur Praefectura Ap. de Sarawak.

(1) Die 18 iul. Rev.mus Praesul piissime obiit in Domino.

turas dividit, quarum nova vocabitur de *Sarawak*, cum iurisdictione in totum regnum huius nominis (*A. A. S.*, 1 iul. 1927, XIX, 248).

Ordinatur regimen in spiritualibus abbatiae nullius *ad Aquas Salvias (Tre Fontane)*

G. — Bulla *Summi Pontificis*, 11 feb. 1927, de regimine statuens Abbatiae *Nullius* Ss. Vincentii et Anastasii ad aquas Salvias, S. Pontifex Sibi in titulo retinet ipsam abbatiam, dein tribus Ordinariis vicinioribus tribuit in perpetuum spiritualem iurisdictionem quam abbatia ista, prae singulari sua condicione, habet in tria dissita et distincta loca. Menstrua pensio quae ex abbatiae reditibus obtingebat b. m. Andreae Caron, Archiepiscopo Chalcedonensi, qui abbatiam in spiritualibus regebat, pro rata et extensione territorii inter tres Antistites partietur: hi tamquam Delegati S. Pontificis exercebunt in sua quisque parte auctoritatem prorsus eandem quam in propria dioecesi exercent. Vacante autem sede, etiam regimen dioecesis cui annexa sunt, territoria ista participabunt. Exsecutio, cum facultate subdelegandi committitur Ill. P. D. Rossi, S. C. Consistorialis assessori (*A. A. S.*, 2 iun. 1927, XIX, 203).

H. — *Litterae de ecclesiis.*

In Basilicam minorem eriguntur:

Bahia. Brevi *Exstat*, 31 aug. 1926 sanctuarium D. N. I. C. a bono fine, in archidioecesi SS. Salvatoris de Bahia (*A. A. S.*, 1 iul. 1927, XIX, 246).

Paris. Brevi *Exstat* 12 mart. 1927, templum Dominae Nostrae a Victoriis, Lutetiae Parisiorum (*A. A. S.*, ibid. p. 249).

36. — S. C. Consistorialis

Dignitas erigitur in cap. Augustodunensi

1. Decreto Consistoriali 29 april. 1927, perinde valituro ac si Apostolicae Litterae sub plumbo expeditae essent, SS. Dominus erigit in capitulo cathedrali Augustodunensi dignitatem *Decanatus*, cuius collatio S. Sedi reservatur (*A. A. S.*, 2 iun. 1927, XIX, 207).

2. Decreto Consistoriali 22 april. 1927, SS. D. pagum Kleinarreshausen a paroecia *Foernbach* et ab archidioecesi Monacensi et Friginsensi separat et paroeciae *Geisenhausen* dioecesis Ratisbonensis perpetuo incorporat (*A. A. S.*, ibidem, 208).

37. — S. C. de Religiosis

Approbationes Institutorum vel Constitutionum.

Fratres N.D. de Lourdes. 1. Decreto 29 mart. 1927, ad septennium, Constitutiones Instituti *Fratrum Nostrae Dominae de Lourdes*, cuius domus princeps est in dioecesi Gandavensi (*A. A. S.*, 1 iul. 1927, XIX, 253).

2. Decreto 7 maii 1927, *Institutum Sacrorum Cordium Iesu et Mariae,* cuius domus princeps est in ipsa dioecesi Brentwoodensi, et ad septennium, eius Constitutiones (*A. A. S.*, ibidem). *SS. Cordium Iesu et Mariae in Brentwood.*

3. Decreto 7 maii 1927, definitive Constitutiones Instituti Sororum *Figlie di San Giuseppe,* cuius domus princeps est Venetiis (*A. A. S.*, ibidem). *Figlie di S. Giuseppe (Venetiis).*

4. Decreto 7 maii 1927, *laudatur* Institutum Sororum vulgo *de Notre-Dame du Saint Rosaire,* eiusque Constitutiones ad septennium approbantur (*A. A. S.*, ibidem). *Notre-Dame du S. Rosaire.*

5. Decreto 6 iunii 1927, institutum religiosarum vulgo *Soeurs Carmélites de Saint Joseph,* cuius domus princeps est in dioecesi Augustodunensi, eiusque Constitutiones ad septennium (*A. A. S.*, ibidem). *Soeurs Carmélites de S. Ioseph.*

6. Decreto 6 iun. 1927, *laudatur* Congregatio religiosa *Sorores Franciscales, Filiae Sacrorum Cordium Iesu et Mariae,* cuius domus princeps est in ipsa dioecesi Paderbornensi, eiusque Constitutiones ad septennium approbantur (*A. A. S.*, ibidem). *Sorores Franciscales, Filiae SS. Cordium Iesu et Mariae.*

38. — S. C. Rituum

Causae Beatificationis et Canonizationis

1. Die 13 maii 1927, SS. D. sollemni sanxit decreto ita constare de virtutibus theologicis et cardinalibus in gradu heroico V. S. D. Ioannis Baptistae Trona, sacerdotis Congr. Oratorii S. Philippi Nerii civitatis Montis regalis, ut ultra procedi queat. *Ven. Ioannes Baptista Trona.*

2. Die 17 maii 1927, E.mi ac Rev.mi Patres sacris tuendis ritibus praepositi, confirmandam censuerunt sententiam Rev.mi Episcopi Patavini super cultu praestito ab immemorabili tempore S. D. Lucae Belludi, socio S. Antonii, Beato nuncupato. Beatus, natus circa annum 1200, in osculo Domini quievit 17 feb. circa annum 1285. Die 18 maii, SS. D. rescriptum S. Rit. Congr. ratum habuit et probavit. *B. Lucas Belludi.*

3. Die 18 maii 1927, SS. D. N. Pius Pp. XI, propria manu signare dignatus est Commissionem introductionis causae Beatificationis et canonizationis S. D. Mariae a Iesu Crucifixo, Sororis Professae Ord. Carmelitarum Excalceatorum. *S. D. Maria a Iesu Crucifixo*

4. Die 20 iun. 1927, SS. D. sollemniter edixit ita constare de virtutibus theologicis et cardinalibus in gradu heroico Ven. S. D. Alani de Solminihac, can. reg. Lateranensis episcopi Cadurcensis, ut ad ulteriora procedi queat. *Ven. Alanus de Solminihac.*

39. — Provisio Ecclesiarum.

Tarazona (Spagna). In *sacro Consistorio* 20 iun. 1927 nominati sunt:

Ardagh (Irlanda). R. D. Isidorus Gomá y Tomas, ep. Tirasonensis.

Kerry ed Aghadoe (Irlanda). R. D. Iosephus Mac Namee, ep. Ardachadensis.

Alba reale (Ungheria). R. D. Michaël O' Brien, ep. Kerriensis et Aghadmensis.

Charleston (St. un. di Am.) R. D. Aloisius Shvoy, ep. Albae Regalensis.

Valencia (Venezuola). R. D. Emmet Walsh, ep. Carolopolitanus.

Vich (Spagna). R. D. Salvator Montes de Oca, ep. Valentinae de Venezuela.

R. D. Ioannes Perello y Pou, ep. Vicensis, ex Superiore gen. Cg. Maioricensis Missionariorum SS. Cordium.

In eodem sacro Consistorio alii per Apostolicas sub plumbo Litteras iam *renunciati sacrorum Antistites publicati sunt.*

Plerosque residentiales dedimus p. 72 supra. His addendi sunt:

Catanzaro. R. P. D. Ioannes Fiorentini arch. Catacensis ex ep. eiusdem dioecesis, nuper erectae ad dignitatem sedis archiepiscopalis.

Secovia. R. P. D. Ferdinandus Pawlikowski ep. Secoviensis ex ep. Dadimensi (nominatus Decreto S. C. Consistor. 26 ap. 1927).

Davenport (St. Un. Am.) R. D. Henricus Rohlman, ep. Davenportensis (nominatus Decreto S. C. Consistor. 20 maii 1927).

Helena (St. Un. di Am.) R. D. Georgius Finnigan, ep. Helenensis (nominatus decreto S. C. Consist. 20 maii 1927).

Dinajpur (India). R. P. D. Sanctinus Taveggia ep. de Dinajpur ex ep. Krishnagarensi.

Chittagon. R. D. Arcturus Alfridus Lepailleur ep. de Chittagong.

Denique SS. Dominus dixit se *ratam habere* promotionem et electionem factam a R. P. D. Patriarcha Antiocheno Graeco-Melchitarum.

Mariamme R. P. Ioachimi Iouakim, iam Sup. gen. monachorum S. Basilii Graeco-Melchitarum SS. Salvatoris Mariamme ad Ecclesiam cathedralem Mariamnensem Melchitarum.

40. — Nominationes.

Brevibus Apostolicis nominati sunt:

Albania. 9 mart. 1927, R. P. Ioann. B. Della Pietra, e S. I. Delegatus Apostolicus pro Albania.

Salonico. 5 maii 1927, R. D. Alexander Guidato, e clero saec. archid. Corcyrensis Vic. Apost. de Salonicco seu Thessalonicensis.

41. — Necrologium.

17 maii 1927, Ill. D. Aemilius Seghers, ep. Gandavensis. *Gand.*
20 maii 1927, Ill. D. Ioannes O' Connor, ep. Novarcensis. *Newark (St. Un. Am.)*
9 iun. 1927, Ill. D. Daniel M. Gorman, ep. Xylopolitanus. *Boise City.*
17 iun. 1927, Ill. D. Ioannes a Iesu Herrera y Pina, archiep. Montergiensis in Mexicana republica. *Monterey (Messico).*
19 iun. 1927, Ill. D. Ludovicus Antomelli ep. Laudensis. *Lodi.*
26 iun. 1927. Ill. D. Michael Zezza di Zapponeta, Patriarca latinus Constantinopolitanus. *Costantinopoli.*
29 iun. 1927, Ill. D. Aloisius Humbrecht, arch. Bisuntinus. *Besançon.*
18 iul. 1927, Ill. D. Martinus Rutten, ep. Leodiensis. *Liège.*

NOTANDA DE SUPERIORE FASCICULO

I. Nescimus quo fato acciderit ut in lucubratione R. P. HECHT, *p. 19* tota cum quattuor prioribus lineis p. 20* loco non suo posita sit; unde ad c. 1148 § 2 videtur referri quod spectat ad interpretationem § 3 c. 1147. Velit benevolus lector errorem corrigere et praefatam pag. 19* cum quattuor prioribus lineis p. 20*, destinare mediae p. 20* post lineam 19.*

II. Ad p. 51. Cum in templo S. Ignatii festum S. ALPHONSI *(Rodericii) celebretur ritu duplici secundae classis, occurrente festo Christi Regis, in proximam diem transferendum erit. Quare omittenda est eius commemoratio in Missa de Christo Rege, contra ac dicitur in fine istius p. 51.*

BIBLIOGRAPHIA

Ex Libris

Thomas Pègues (O. P.). *Aperçus de philosophie Thomiste et de Propédeutique,* précédés d'une lettre de Mgr. Rivière, archevêque d'Aix. In-8, XXIII-432 p. Paris, A. Blot, 1927. Avant-Propos — Critique et Méthode. — Physique et Métaphysique. — Éthique, Économique, Politique. — Propédeutique.

A. Piscetta (S. S.) et **A. Gennaro** (S. S.). *Elementa Theologiae moralis* ad Codicem iuris canonici exacta, Vol. V. De sacramentis in genere et de quinque primis sacramentis in specie, in-8 XVI-986. Torino, Soc. editr. internaz. Corso Regina Margherita, 174. Venit L. 32.

Volumen istud, communi utriusque auctoris opera incoeptum, post alteram Disputationem Tractatus De Eucharistia, a solo R. P. Gennaro perfici debuit, cum A. Piscetta pie in Domino obierit.

Tr. I. De sacramentis in genere, cui tractatui subiungitur tr. de Sacramentalibus in genere et in specie. — Tr. II. De Baptismo. — Tr. III. De Confirmatione. — Tr. IV. De Eucharistia, prout Sacrificium est et prout Sacramentum est. — Tr. V. De Poenitentia, cui annectitur Disp. de indulgentiis. — Tr. VI. De Extrema Unctione. — Accedunt Summaria et Index alphabeticus.

Thomas Villanòva Gerster (O. M. C.). *Katholische. Sittenlehre,* nach den bewährtesten Gottesgelehrten für den Schulgebrauch der Theologiestudierenden zusammengestellt. Ed. 3. vol. in-8 560 p. Vogelweider, Bressanone, 1927.

Einleitung. — *Allgemeiner Teil :* Das Subjekt der Sittlichkeit; die objektive Norm der Moralität; die subjektive Norm der Sittlichkeit; die Uebereinstimmung des Handelns mit dem Gesetz und Gewissen; die Störung der sittlichen Ordnung.

Besonderer Teil, Pflichtenlehre : die Lehre von den Gemeinpflichten; die Lehre von den Berufspflichten.

Fr. Ter Haar (C. SS. R.). *De occasionariis et recidivis,* iuxta doctrinam S. Alphonsi aliorumque probatorum auctorum in-8, XVI-449 p. Taurini-Romae, Marietti, 1927.

Tr. I. — *De occasionariis.* Notio et divisio occasionis et periculi peccandi. De vitando probabili periculo peccandi. —

De occasione proxima voluntaria. — De occasione proxima necessaria, casu quo quis semper relabitur. — Confirmatio auctoritate S. Caroli Borromaei.

Tr. II. *De recidivis.* Notio peccatoris habituati et recidivi. — Absolutio habituati. — Absolutio recidivorum. — Varia specialia seu extraordinaria doloris signa. Iudicium requisitum circa paenitentis dispositionem. — Remedium dilatae absolutionis. — Absolutio condicionata. — Epilogus.

B. H. Merkelbach (O. P.). *Quaestiones de embryologia et de ministratione baptismatis.* 1 vol. in-8, 288 p. Liége, La Pensée catholique, 1927.

Introductio. — *Quaestiones ipsam embryologiam spectantes :* I De vita uterina foetus notiones physiologicae. — II. Principia theologica de actionibus nocivis vitae hominis aut eius integritati — III. De incisionibus quae laedunt matrem. — IV. De embryotomia. — V. De procuratione abortus. — VI. De partu praematuro artificiali. — VII. De foetibus ectopicis.

Quaestiones embryologicae quae respectum dicunt ad ministrationem baptismatis. I et II. De materia et forma baptismi. — III. De baptizandis nonnatis in utero. — IV De baptizandis foetibus abortivis seu immaturis. V. De baptizandis monstris. — VI. De rebaptizandis sub condicione. — Appendix : De conceptione post stuprum impedita.

D. Joseph Mayer. *Gesetzliche Unfruchtbarmachung Geisteskranker,* XLIV - 466 p. (Studien zur katholischen Sozial- und Wirtschaftsethik herausgegeben von D. Dr. **Franz Keller,** Prof. a. d. Universität ; Freiburg i. Br. Dritter Band.) Freiburg im Br. Herder, 1927.

Vorwort. — Einleitung. — Das Anormalenelend. — Grundsätzliches über die Ausschaltung Minderwertiger von der Fortpflanzung. — Die modernen Sterilisationsversuche im einzelnen. Bewertung der Sterilisierung seitens der Fachwissenschaften. Stellungnahme der Mediziner ; der Psychiater- und Neurologen ; der Iuristen ; der katholischen Moraltheologen. — Kirchenrechtliche Folgen der Sterilisierung : Irregularität - Ehe — Gebrauch der Ehe. — Zusammenfassung. — Namenregister ; Sachregister.

Fr. Augustinus Gemelli (O. F. M.). *De conceptus « impotentiae coeundi » definitione sub respectu medicinae pastoralis,* 1 gr. in-8, 52 p. « Notio impotentiae non potest effici inventis biologicarum scientiarum.... Munus cultoris medicinae pastoralis est valde arctum ».

Mich. Gatterer S. I. *Im Glaubenslicht.* Christliche Gedan-

ken über das Geschlechtsleben. Neubearbeitung der Schrift « Erziehung zur Keuschheit ; in-16 114 p. Rauch, Innsbruck, 1927.

Einleitung. — Der menschliche Leib. — Schamgefühl und Schamhaftigkeit. — Das Werden des Menschenkindes. — Die Ehe. — Die Jungfraulichkeit. — Das sechste und neunte Gebot.

S. d'Angelo (Prof. iuris in athenaeo Pontificii Seminarii). *Ius Digestorum,* additis iurium nostri temporis, praesertim iuris canonici adnotationibus. Tomus I (p. I) Pars Generalis. in-8, XVI - 675 p. Romae, Marietti, 1927. Venit 55 L.

Introductio : obiectum et utilitas iuris romani ; eiusdem historica partitio ; ambitus et ordo materiae. — Sectio I. *De iure obiectivo :* generalia ; fontes iuris romani ; efficacia iuris ; interpretatio iuris. — Sectio II. *De iure subiectivo :* de *subiecto* iuris ; persona physica ; tutela et cura ; personae iuridicae ; — de *obiecto* iuris : de rebus ; de praecipuis obiectis praestationum ; — de *causa* iuris : generalia, negotia iuridica, actus illiciti ; de exercitio iurium et praesidiis ad exercitium iuris.

Ioannes Leo Zaplotnik (I. C. L.) *De Vicariis Foraneis.* Dissertatio ad obtinendum doctoratum in iure canonico, in Univ. cath. Americae Septemtrionalis. vol. in-8, X - 142 p. Washingtonii, D. C. 1927.

Introductio historica : Chorepiscopi Or., Periodeutae, Archipresbyteri rurales, Chorepiscopi Occid., Archidiaconi rurales, Decani rurales, Vicarii foranei.

Nova disciplina. Vicariatuum foraneorum institutio. Vicarii foranei notio, electio, amotio, iurisdictio, facultates, vigilantia. Paroeciarum visitatio. Parochi aegroti cura. Conferentiae pastorales. Vicarii foranei residentia, relatio ad Ordinarium, alia officia, sigillum et praecedentia.

William J. Doheny (C. S. C. I. W. L.). *Church Property. Modes of acquisition.* Dissertatio ad obtinendum Doctoratum iuris canonici et romani, in Univ. cath. Americae Septemtr. vol.-in 8, X, 118 p. Washington, D. C. 1927.

Historical Concept. — Historico - Iuridical Development. — Church' s rights of property acquisition. — Classification of ecclesiastical temporalities. — Contributions from the faithful. — Contributions from corporate Groups. — Prescription. — Donations aud bequests in favor of religion and charity.

I. Van. Rijckevorsel, S. I. *Korte Apologie.* 28 p. Geert - Groote - Genootschap. Nummer 198. Marienburg, 's Hertogenbosch (Hollandia) 1927.

I. De waarheden waarin Israëlieten, Katholieken, Mahomedanen, Protestanten en vele modernen overeenstemmen.

II. De waarheden waarin de geloovige christenen der verschillende confessies overeenstemmen.

III. De waarheden waarin de katholieken van de overige christenen verschillen.

Carolus I. Gorla (Sac. Obl.). *Audite hoc, sacerdotes.* Libellus in-16, 34 p. Mediolani, Typis Filiorum Providentiae, 1927. Vocationis finis praestantissimus. - Vocatorum officia; proposita. - Ministerii pericula. - Media praecipua ad salutem propriam. — Servanda in salute aliena promovenda. - Stimuli ad fervorem. - Conclusio. Orationes sacerdotales.

Roland-Gosselin (Ill. D.). *Lettres à un Retraitant.* Paris, Téqui, 1927. In-24, 60 p. Prix. 2 fr. 25, franco; étranger 2, 60.

I. Travail de la Retraite. — Recueillement. — Voix de Dieu. — Réflexion. — Temps libres. — Lectures. — Examen de conscience. — Entretiens avec les directeurs. - Entretiens avec Notre-Seigneur. - Carnet de retraite. - Communion du retraitant. - Départ. - II. *Réflexions Pour le temps de la retraite:* La Bifurcation. - Faux jour, vraie lumière. - L'Unique Bien. - Le Clef du ciel. - Condamné avec sursis. - Les Vivants et les Morts. - Santé de l'âme. - Sur la brèche. - La pierre d'achoppement. - Gymnastique morale. - Programme de vie chrétienne. - Lendemain de retraite.

G. J. Chaminade (S. M.). *Petit Traité de la Connaissance de Marie et extraits divers sur la Très Sainte Vierge.* Deuxième Édition. Paris, Téqui, 1927. In-14, 115 p. Prix. 3 fr. 30, franco; étranger, 3 fr. 60.

Ch. I: Importance et avantages de la connaissance de Marie. *Ch. II:* Notice historique sur la très Sainte Vierge. *Ch. III:* Marie Mère de Dieu. *Ch. IV:* Marie, nouvelle Ève. *Ch. V:* Marie, Mère des chretiens. *Ch. VI:* Marie remplissant envers nous tous les devoirs de mère. *Ch. VII:* Grandeurs de Marie. — II. L'Oraison en union avec Marie. — III. Extrait de la lettre du Fondateur sur le Voeu de stabilité émis dans la Societé de Marie. — IV. Notes autographes de M. CHAMINADE sur l'esprit de la Socïeté de Marie.

E. Raitz von Frentz (S. I.). *La vie spirituelle d'après le B. Robert Bellarmin.* Opusc. 36 p. in-8 ex *Revue d'Ascétique et de Mystique,* avril 1926.

H. Dubois — Alfrêdo B. de Arruda Camara. — *O Guia do Seminarista e do Jovem Padre* por H. Dubois, antigo reitôr do seminário maior de Coutances. Traducçâo Portuguêsa de Alfrêdo de Arruda Camara. 1 vol. in-8, XIV, 280 p. Roma, Tip. Consorzio nazion. di Emigrazione e Lavoro, 1927.

Categorias, Defeitos, Consélhos. — Proemio I. Classificaçao dos seminaristas em quatro categorias: os maus, os tibios, os bons e os fervorosos.

II. Principaes defeitos aos quaes os seminaristas estão sujeitos. Caractéres desses defeitos. As suas consequencias. Os seus remédios.

III. Conselhos e regras de procedimento para o jovem - neo-ordenado. — Conclusão. Appendice.

*** *Les prêtres de Sainte Marie.* Vol. in-8. 126 p. Roma Piazza Rusticucci, 10, 1927.

Lettre du Card. Gasparri. — L'Appel. — Les Prêtres de Sainte Marie. — Frères Coadjuteurs.

I. Sternaux, S. I. *Sturmflut unde Wetterleuchten.* P. de Clorivière S. I., ein Jesuitenleben aus bewegter Zeit, in-16, 175 p. Innsbruck, Rauch, 1927.

Erste Sehnsucht. — Seine Hilfe in jeglicher Not: die H. Eucharistie. — Der Sturm bricht los. — In Lüttich. — In London. — In Gent. — In Brüssel. — Innerliches Leben. — Der Leidenskelch. — Der neue Pfarrer. — Angeklagt. — Der Plan. — Auf dem Hügel von Montmartre. — Die misslungene Verhaftung. — Im Pariser Schlupfwinkel. — Freiheit und Gleichheit auf dem Blutgerüst. — Im Schatten des Kreuzes. — Im Gefängnisse. — Vergebliches Hoffen. — Das Geheimnis des Sträflings. — In der Irrenanstalt. — Ein wichtiges Ereignis. — Ein unangenehmer Besuch. — Abend des Lebens. — Letztes Gebet vor dem Tabernakel. — Anhang.

*** *De S. Petro Canisio, Ecclesiae doctore renuntiato* (21 maii 1925). Testimonia quaedam. - In-8, 77 p. Romae, Typ. Campitelli, 1927.

Prooemium. — Elenchus operum S. Petri Canisii. — Testimonia quaedam de apostolatu et doctrina Sancti. — Synopsis duorum « Votorum » ex officio. — Supplex libellus A. R. P. Ledochowski ad S. Pontificem. — Litterae postulatoriae ex variis regionibus. — Biographiae S. Petri Canisii.

A. Arnou. *La morale des affaires.* Contre le bénéfice exagéré. In-8, 62 p. Paris, Éditions Spes, 1925. Prix, 3,75 fr.

La Loi et le bénéfice exagéré. Une loi de guerre contre la spéculation; le bénéfice exagéré d'après la jurisprudence; faut-il punir le bénéfice exagéré.

La Morale et le bénéfice exagéré. L'estimation commune; Les prix légitimes des monopoles; Conclusion.

*** *Settimane sociali d'Italia.* XIII Sessione, 1926, Genova. *La Famiglia cristiana.* I. *Il concetto della Famiglia cristiana:*

Sac. Prof. **Adriano Bernareggi**; **Andrea Oddone** S. I.; Prof. **G. B. Biavaschi**. — II. *I delitti contro la famiglia:* **Ag. Garagnani**, S. I.; Avv. **Camillo Corsanego**; Sac. Prof. **Giacinto Tredici**. — III. *L'economia e la beneficenza famigliare:* Dott. **G. B. Castioni**; Dott. **Albino Uggè**; Dott. **Ludovico Montini**. — IV. *I problemi educativi:* Prof. **Ludovico de Simone**; Prof. **Ludovico Necchi**. — *Igiene - Coltura Morale:* Dott. **Giuseppina Pastori**; Avv. **Luigi Raggi**; Fr. **Ag. Gemelli**, O. F. M. —

Discorso di chiusura di S. E. Mons. **Minoretti**.

*** (*Union internationale d'études sociales*) *Code social.* Esquisse d'une synthèse sociale catholique, in-16, 141 p. Paris, Editions Spes. Venit 6 fr.

Avant - Propos. Introduction: l'homme et la Société; sociologie, économie, morale; la Société et les Sociétés. — Ch. I. La vie familiale. — Ch. II. La vie civique. — Ch. III. La vie économique. — Ch. IV. La vie internationale. — Ch. La vie surnaturelle.

Ex Periodicis

Collationes Brugenses 1927. V. COUCKE. De praecepto annuae confessionis. — A. LEGRAND. De altari privilegiato pro vivis et defunctis et pro agonizantibus. — I. BRYS. De prohibitione librorum.

Collationes Gandavenses, 1927. F. CLAEYS BOÚÚAERT. De participatione activa vel passiva in sacris acatholicorum. — Quousque liceat acatholicos admittere ad sacra catholica.

Collationes Tornacenses, 1927. F. MAINIL. L'étude comparée des religions. — De scrupulorum effectibus et frequentia. — Signes pour discerner l'action du bon esprit et du mauvais.

Collectanea Mechliniensia, 1927. A. JANSSEN. Het onvruchtbaar maken van zwakzinnigen en misdadigers. — L. CAERS. Les instructions aux Communautés de Frères et de Religieuses établies dans le diocèse de Malines. — L. VAN EYNDE. Over de opvoeding tot de kuischheid. — J. CLAES. De impedimento matrimoniali impotentiae. — K. CRUYSBERGHS. Notiones de dispensatione in genere. — P. GILLET. De subiecto legis ecclesiasticae in genere. — J. NAULAERTS. De necessitate Eucharistiae. — A. GOUGNARD. De cessatione voti.

Benediktinische Monatschrift, 1927. LAURENTIUS ZELLER. Christi Königtum der Wahrheit. — PLAZIDUS GLOGGER. Pro-

prietas. — BENEDIKT BAUR. Um Wesen und Weisen der Teologie. — HUGO LANG. Benediktus und Franziskus.

Il Monitore Ecclesiastico, 1927. Delle pensioni sui beneficî. — Circa l'associazione funebre di ricoverati in manicomio.

Perfice Munus, 1927. Can. I. ADLOFF. La direzione nella Confessione. — S. S. BICCARI. Il c. 1045 § 3 e la facoltà del parroco nei « Casi perplessi ».

Pastor Bonus, 1927. Dr. LENZ. Philosophie und Seelsorge. — Dr. KETTER. Wandlungen in protestantischen Offenbarungsglauben. — F. HAMBROER. Die russisch-orthodoxen Theologen in der Emigration und der Katholizismus.

Theologisch-praktische Quartalschrift, 1927. Dr. LEOPOLD KOLPER. Die theologische Fortbildung des Priesters. — B. VAN ACKEN, S. I. Aergernis und Verführung. — Fr. DUNKEL, C. M. Die Spendung der H. Sakramente in der orientalischen Kirche. — Dr. ANTON SEITZ. Modernste Materialisationsphänomene. — Dämonische Erfahrungen im Spiritismus? — Dr. OSKAR MEISTER. Die Bedeutung der Blutprobe für die Seelsorge. — Prorektor EISENHUT. Eine brennende Frage der seelsorglichen Praxis (De cooptatione in syndicatus non catholicos). — A. SCHMITT, S. I. Austritt aus einem Kirchenfeindlifichen Verein. — Dr. SCHRATTENHOLZER. Beichtjurisdiktionszweifel. — KÖCK. Bination. — Dr. JONE, O. M. C. Ueber das Paulinische Privileg. — SULZBÖCK. Chorpflicht der Ordensleute.

Revue des Communautés religieuses, 1927. R. BROUILLARD. Le secret dans la vie religieuse. — E. JOMBART. La sépulture des religieux. — Fr. JANSSENS. Les aliénations de biens.

Revue ecclésiastique de Liége. G. KISELSTEIN. A propos du divorce civil. — E. LEROUX. Notio virtutis prudentiae. — G. KISELSTEIN. De necessaria potestate ordinis in ministro absolutionis. — G. SIMENON. Praescriptio relate ad bona Ecclesiae temporalia.

Nouvelle Revue Théologique, 1927. E. DE MOREAU. Pour le cinquième centenaire de l'Université catholique belge. — E. JOMBART. La jurisdiction universelle du Pape.

Nederlandsch Katholieke Stemmen, 1927. Dr. J. DE JONG. De ontwikkeling van de leer en de praktijk van boete en biecht. — Dr. W. MULDER. Impedimento publicae honestatis quinam teneantur. — Dr. H. BEIJERSBERGEN. Over het Kruisteeken in de H. Mis. — P. PASCHASIUS, O. M. Cap. Rechtvaardig loon. — Dr. A. S. Apostolische faculteiten der Bisschoppen. — J. « Bezoek bij het H. Sakrament ». — Pastoor VAN KERSBERGEN. Bewierooking bij de begrafenis op het kerkhof?

DOMUS EDITORIALIS CAROLUS BEYAERT
EDITORES PONTIFICII, **BRUGIS** (BELGII)

CAN. PROF. JOS. BITTREMIEUX, S. T. Ph. D., *in alma Universitate Lovaniensi Theol. Dogm. Spec. Prof.* — **De Mediatione Universali Beatae Mariae Virginis quoad Gratias.** — Fr. 25 seu 5 Belgas.

AL. DE SMET, S. T. D. — **De Sponsalibus et Matrimonio.** — *Tractatus Theologicus et Canonicus* — Editio quarta (inde a Codice altera) 22 Belgas.
Eiusdem operis editio manualis pro clericis in Seminariis paratur et mox praesto erit.

AL. VAN HOVE, S. T. Mag. — **La Doctrine du Miracle chez Saint Thomas et son accord avec les Principes de la recherche scientifique.** — Fr. 60 seu 12 Belgas.

DOCTEUR G. CLÉMENT, *Professeur à l'Université de Fribourg* — **Le Droit de L'Enfant a Naître** — *Réflexions pour les médecins et les non-médecins.* — Fr. 6.00 seu 1.20 Belga.

Ephemerides Theologicae Lovanienses *a quibusdam Professoribus S. Theologiae Facultatis in alma Universitate Lovaniensi editae.* - Pretium subnotationis pro annis 1924-5-6: 45 Fr. seu 9 Belgas; pro 1927: in Gallia 45 Franci gall., in Italia 35 lire, in Hispania 10 pesetas, in Hollandia 4 Flor., in aliis regionibus 10 Belgas.

Opus Patrologicum quod vulgo « *Migne* » vocatur: Patrologia Latina - Patrologia Graeca-latina - Patrologia Graeca (latine tantum).

F. M. Cappello. — *Tract. canonico-moralis de Sacramentis.* I. De Sacr. in genere et tribus prioribus Sacramentis (L. 26). II. 1ª Pars. De Paenitentia (L. 32). III. De Matrimonio, 2 ed. cum Append. de iure matr. Orientalium (L. 35). *Paratur* vol. II. 2ª Pars. De Ordine et Extr. Unctione.

Summa iuris publ. Ecclesiastici (L. 18).

Tract. can-mor. de Censuris, ed. 2 (L. 18).

B. Ojetti. — *Commentarium in Codicem I. C.* Vol. I. Normae generales (L. 30).

A. Vermeersch. — *Theologiae Mor. Principia, Responsa, Consilia.,* ed 2. I. Theol. fundamentalis (L. 24). II. De Virtutibus theol. et moralibus, excepta Castitate (L. 27). III. De personis, Sacramentis, Ecclesiae praeceptis et Censuris, cum Appendicibus historicis: Volumen canonico liturgicum et morale (L. 40). IV. De castitate et vitiis oppositis, pars moralis de Matrimonio (L. 7).

Epitome Iuris can. cum Commentariis ad scholas et ad usum privatum cum facultatibus Legatorum Pont., Vic. et Praef. Apost., Episcoporum (opera **A. Vermeersch** et **I. Creusen**) 3 vol., I. ed. 3, lib. 1 et 2 Codicis (L. 28); II, l. 3 Cod. ed. 3 (sub prelo); III, l. 4 et 5 Cod. ed. 2 (L. 26).

De Religiosis Institutis et Personis. I. Ad usum scholarum, ed. 3 paratur. II. Supplementa et Monumenta. Ed 4. (Fr. 24,50 seu nunc L. 12,50.)

De facultatibus S. C. de P. F. Commentaria (Fr. 5 seu nunc L. 2,50). Praeterea: *Periodica de re canonica et morali* ab anno 1905 (15 vol.) — *Quaestiones de religione et pietate.* — (Variis linguis): *La Tolérance.* — *Méditations sur la S.te Vierge* — *Pratique et Doctrine de la dévotion au S. Coeur.* — *Les archives du Manuel social* (cum **A. Muller,** S. I.) — Paratur nova ed. *De Religiosis.* — *De Iustitia.* — *De castitate.*

Wernz.-Vidal. *Ius Decretalium.* Tom. II. De Personis (L. 40); V. *Ius Matrimoniale* (L. 50). *Ceteri* vel sub prelo sunt vel parantur.

Opera ista prostant vel Romae (119), 120 Via del Seminario; vel Brugis, in Belgio, apud ed. Pont. C. Beyaert. Periodica tamen annorum praeteritorum, solum apud Beyaert.

Approbantibus Superioribus Ecclesiasticis

P. Domenico Palermo Lazzarini, Università Gregoriana, Roma - responsabile

ISOLA DEL LIRI — Tipografia A. Macioce & Pisani